



Francisci Burmanni Narratio de controversiis nuperius in Academia Ultrajectina motis et depulsio eorum, quae contra objecta fuerunt : in quibus praecipue de natura mentis humanae et congenitae vitiositatis in infantibus agitur

<https://hdl.handle.net/1874/21207>

V 1677

UB. 844.

N.B. 111

FRANCISCI BURMANNI ,

S. Thol. Doct. & Professoris,

N A R R A T I O

D E

Controversiis nuperius in Aca-
demia Ultrajectina motis ,

E T

Depulsio eorum , quæ contra objecta fuerunt.

IN Q U I B U S P R A C I P U E

De natura mentis humanae & congenitæ vitiositatis
in infantibus agitar.



U L T R A J E C T I ,

Ex Officinâ Meinardi à Dreunen , Urbis & Academiæ
Typographi Ordinarii , Anno c̄lo Ibc Lxxvii .

NARRATIO

DE

Controversiis nuperius in Academia Ultrajectina motis,

ET

Depulsio eorum quæ contra objecta fuerunt.

CAPUT I.

BREVARIUM.

Institutum auctoris & divisio operis ac causæ conjectio,

1. *Lis mota super binis respondentis ipsius corollaris, de latitudine sensus scriptura & de amore qui in fide est,*
2. *Lis altera prima vice ipsi mota circa modum omnipresentie divina,*
3. *Lis tertia ipsi facta circa divisionem attributorum Dei in interna & relativa,*
4. *Lis quarta ipsi intentata super infantium cogitationibus actualibus & peccato in utero materno,*
5. *Lis secunda vice excitata circa modum omnipresentie divina, per Antagonistarum corollarium & mantissam,*
6. *Quibus oppositum ἐπίμετρον ipsius prius,*
7. *Instauratio litis de actualibus infantium cogitationibus eorumque peccato,*
8. *Cui objectum ἐπίμετρον ipsius alterum,*
9. *Hic repositum Antagonistarum corollarium & annexum,*
10. *Recapitulatio præcedentium & assertio innocentia Auctoris,*
11. *in causa Job. Luyfis,*
12. *Fred. Oosterlandi,*
13. *Job. Regii.*
14. *cum sublatione exceptionum pro hoc factarum,*
15. *& assertione juris denegandi ipsi testimonium Academicum,*
16. *et exuatur*



Unquam equidem existimaveram fore, ut hoc præcipue tempore, quo litem dissensionumque adeo fecunda est seges, & ager dominicus magna ex parte in spinas & senticeta sobolescit, cum ullo mortalium committerer; quippe, qui ab altercando naturæ quodam genio aversus, & quam difficulter in eo homo

exuatur, & absque peccati fermento bella illa depugnentur gnarus;
 & insuper quam inglorios & Ecclesia parum proficuos illa habere
 soleant plerumque triumphos edoctus, sollicite me composui, ne
 per me dissidiorum numerus augeatur; maxime cum illa vivamus
 tempora, quibit non desunt qui fomentum ac pabulum huic igni
 præbere videntur, non aliter ac si illis utile esset istud bellum, & hoc
 ageretur ut majus ac revera est, appareat illud sententiarum divi-
 tium, & duplicitæ quasi in furtiva luce conspiciantur phalanges.
 Cum tamen aliter, ac proponimus & desideramus, res interdum
 excidat, & ipsum pacis studium subinde belli sit causa; ego saltem
 non uno modo lacessitus, & modo novitatis, modo Socinianæ hæ-
 reseos insimulatus, & indignis modis habitus, & contemtu non
 mei ordinis duntaxat hominum, sed & adolescentium objectus
 sim: certe nisi famæ estimationisque meæ, sine qua nulli Doctori,
 præsertim Theologo, sua constat auctoritas, prodigus esse volue-
 rim, & veritati, quæ per meum petebatur latus, deesse, non potui
 non committere, ut postquam satisfeceram conscientię, non etiam ca-
 lumnia satisfacerem, & ita, perinvitus licet, in hanc arenam descen-
 derem. In qua memòr sanctissimi moniti parceriastis cap. 17: 14.
Qui aperit aquam, principium est contentionis; & antequam misceatur lis,
dimitte eam, expertusque quanto proclivius sit principium in hisce,
 quam exitum reperi; ita temperabo stylum, ut veritati duntaxat
 ac honori meo consulam, atque hac ratione item hanc, si pote, ter-
 minem, ut ne ulterius stillet hoc, quantulumcunque est vulnus, sed
 obducta quantocytus cicatrice coalescat, & alma pax, filii saltem suis,
 reddatur. Cum vero non de ipsa duntaxat rerum controversarum
 veritate, sed & facti historia mihi lis moveatur, & quod tanto cum
 studio tantaque cum vehementia gestum est, nunc tanta cum arte
 luci subducatur, & involucris ac ambagiosis evasionibus implicetur,
 & fuligine exceptiuncularum obducatur, duplex mihi hujus certa-
 minis erit caput; prius, ut quid de controversiarum motarum origi-
 ne sit, pandam; alterum, ut quid de ipsa re controversa sit, doceam:
 quorum illud pacis, hoc veritatis violata genuinam faciem exhibe-
 bit. Prioris causæ conjectio in duplice controversia genere fere con-
 sistit: primo quod molestia mihi mota est super binis respondentis
 mei corollariorum, quorum prius erat de latitudine sensus Scripturarum, al-
 terum de amore, qui in fide est: secundo quod impetus sim, nulla
 data causa, Antagonistarum telis, & primo quidem circa divisionem

attri-

attributorum Dei in interna & relativa : secundo circa omnipræsentiam Dei, an ea per modum diffusionis alicujus, an vero, ut sp̄ titum decet, per modum actuosa operationis, in qua spiritus essentia consistit, concipienda sit : tertio circa naturam mentis humanæ, an ea in cogitandi quadam potentia, an vero actuali cogitatione, sive in cogitando sita sit, adeoque in infantibus, etiam in utero materno, non desint actuales cogitationes; quæ cum iustitia primigenia destitutæ sint & carni mancipatæ, suo modo etiam actuale peccatum conficiant. Hisce gradibus lis præsens omnis decurrit, & ad hasce lineas dimicandum erit. In hisce prior oppugnatus sum, idque non ex disputatione aut thesi aliqua mea, sed ex libro meo, *Synopsi Theologiaz*, qui longè à pulpito Academico remotus erat, neque erroris duntaxat, sed & Sociniana hærefeos criminatione iterato pulsatus sum, & quidem initio ab adolescentibus, Professoris publici defractoribus, quibus præda factus fuilem, nisi illis restitissem, deinceps à Collega Philosopho : quo jure ac qua veritate, nunc dispiciendum erit.

I I. Ut igitur motuum horum proximas origines & causas (retracta enim & remotiora, dum per antagonistas licet, refodere non est animus) repeatam, hoc unum duntaxat memorabo, à restituta nostra urbe & Academia, electe autem à biennio aut triennio retro, præcipuum disputationibus publicis argumentum suppeditasse in Theologia & Philosophia, controversias, quæ sub magnorum virorum, Cocceji & Cartesii nominibus hodie gliscunt & fervent. Quod tanto cum ardore hic gestum est, ut queruli mihi interdum retulerint Theologia consecranei, se ad oppugnationem istorum dogmatum, quæ Cl. Coccejo tribuuntur, à Cl. Collegis Theologis invitatos, disputationes istiusmodi detrectasse, licet cæteroquin iis obnoxii essent. In Philosophicis longo tempore nulla alia, nisi valde fallor, conspecta est disputatio, nisi quæ Cartesium & ipso disputationis corpore & Corollariorum subjunctis, hoc est stamine & subtegmine, impugnaret. Quasi totius Philosophie latus fundia jam in istas redacta essent angustias, & nullum aliud preclarum, quod ventilatione publica dignum esset argumentum, sese offerret. Quale cum etiam deinceps sabinde eligeretur, ne quid tamen de fervore impugnandi Cartesium remitteretur, prolixo Corollariorum agmine cavebatur. Quibus modis & verbis hæc peracta sint, nunc non dicam, neque judicium meum de ipsis rebus interponam, cum majoris aboliaz id foret. Facile

6
cuique sui relinquebam judicium libertatem , prout & mei mihi sartam
rectam optabam : quam & amplissimi Ordinis humanitate ac sapi-
entia mihi relictam haecenus habui . Quia proinde ut ex æquitate &
prudentia , ad Academæ incrementum & pacis conservationem
uterer , cautio fuit . Inde vix quicquam sub meo præsidio à studiosis
(à me ipso enim nihil omnino profectum fuit) disputationum confli-
ctui subjectum fuit , quod controversias hasce attingeret , nihil autem
quod ignem hunc fodicaret ; quemadmodum id publice notum est ,
& ex inspectione disputationum mearum ab aliquot retro annis ha-
bitarum videre est . Prævidebam enim ex levi scintilla grave subna-
sciturum incendium ; quod nec Academæ nostræ , neque universitæ
Ecclesiæ commodium futurum existimabam . Et erat certe , ut mea
possem esse forte contentus , cui satis magnum erat in publicis dome-
sticisque scholis theatrum , appellentibus hoc indies magno numero
ex omni Europæ parte , tanquam ad sapientiæ aliquem mercatum ,
florentissimis & doctissimis juvenibus , quibuscum , licet id male ure-
ret (certa narro) alios , agere & proficere mihi vita & voluptas est .
Itaque tranquillum & placidum harum concertationum agebam
spectatorem , & egismus porro , dummodo me extra partes hasce esse
permisissent . At & ea mihi non solida aut diuturna fuit felicitas .
Prima ὑπέραξις incidit a. d. 15. Martii anni proximi 1676. occasio-
ne unius aut alterius Corollariorum , quæ disputationi , sub meis auspiciis
habenda , subjecerat eximus juvenis Zacharias Caulius , Cassellis Haf-
sus , hisce verbis : *Quotquot inficias eunt , verba S. Scripturæ hoc omne signi-
ficare quod significare possunt , errant , nescientes Scripturas & vim Dei.*
Item : *Vera autem fidei quemadmodum primus erga Deum in Christo amor est ,*
(ita) intimus & essentialis actus est , famæ & sitis justitiae Dei , cumque in
Christo unice diligendi προαιτεοντις . Quæ Corollariorum ullum mortalium
offensura fuisse ego ne quidem somniaveram , cum prius eorum adeo
planum esset redditum magna satis illius per varios in variis locis ven-
tilatione , ex qua constabat , mentem illius hanc esse , verba Scripturæ
tantum significare quantum possunt , nimurum ex Sp. S. intentio-
ne , textus ratione & antecedentium & consequentium αληθειας
posteriori opinabar cum Cl. Collegarum mente convenire , cum ,
præter alios magnos viros , qua antiquos , qua recentiores , ejusdem
sentientia esse sciem doctissimum Amesium , quem in deliciis ipsis es-
se noveram . Cæteroquin , fateor , expunxi semel utrumque istud Co-
rollarium , non enim in illorum propugnatione fortunæ Theologæ
nostræ

nostræ sitæ erant, & noluisse importuna illorum propositione pacem nostram turbari; qui semper ita mecum statui, non esse cur super pauculis quibusdam assertionebus inter nos configamus, ubi illud cum pace fieri non potest, cum in mille alias communes veritates, salva pace mutua, excurrere nobis liceat per Theologię nostræ latifundia & immensa spatia. Hic vero præter opinionem res excidit. Cl. Colle-
ge enim Academico senatus consulto intercedere nitebantur illi dispu-
tationi, & juvenem illum à suggestu arcuissent, nisi ad illorum palau-
tum locutus fuisset, si ego illorum decreto obsequi voluisse. Illud
vero generose declinavi, cum iniquum videretur mihi id decretum, &
collegarum nulla omnino in me aut disputationes meas sit jurisdictio.
Procedit itaque disputatio, & placide quidem, cum respondenti de
posteriori corollario, quod maxime videbatur offendere, & ab initio
solum proponebatur in senatu, nulla moveretur in ipso conflictu lis.
Quæ vero hic ulterius gesta sint, quæque narratu digna in iis sese
offerrent, ea nunc non attingam, qui hanc item præterire constitui;
cujus etiam plane nullam hic facturus fuissim mentionem, si non in
ea tranquillitatis publicæ fortuna aliquantulum vertisset. Ego ta-
men in publicum Academiæ theatrum rem istam protrahere, licet id
fieret ab illis, qui primi hanc controversiam moverant, & ut à me
id fieret, requirere videretur necessitas tuendi respondentis mei corol-
laria, quæ jam graviter accusabantur, consultum fore non existi-
mavi, solius pacis studio. In quo tamen nunc judicium meum fere
desidero, cum non solum ab aliis lis illa mihi primo moveretur, ve-
rum etiam resonarent deinceps non semel illis vocibus Academiæ
nostræ parietes: in quibus me meis defuisse partibus, nescio an è re
mea fuerit. Sed durum mihi accidebat rubicopem hunc transire, &
nervum hinc ulterius tendere, quem inde ruptum iri prævidebam;
ut more aliarum Academiarum aperto jam & non facile resarcendo
bello committeremur, & Minerva nostra Egidem hastamque su-
am in propria converteret viscera: quod hactenus factum non fu-
se, singularis fere illius, licet non sine studio magno exambita, erat
felicitas. Si quid autem hac mea lenitate neglectum fuerit, solatio
est, quod tutius saltem fuerit in hoc extremo deficere, quam in altero
modum exceedere. Transit ergo ista velitatio, & delitum est de ista
re apud nos disputari, licet acies illa deinceps ab alio, quem Antago-
nista mei ultro, & quantum judico minus prudenter, saltem præter
necessitatem, certamini huic involverant, strenue instaurata fuerit &
plenis

plenis phalangibus explicata; quin &c, quantum deprehendo, neg-
dum plane depugnata.

III. Hac ergo lampade aliis relicta, videbantur consueto, quem supra retuli, more omnia in Academia nostra fluxura, nisi quod a. d. 14. Aprilis hujus anni, praeside Cl. Essentio τῷ μακαρίῳ, Johannes Luyt, Horna West Friesius, in prolixo elencho xxx Corollariorum, disputationi de Beatitude subjectorum, quibus pagellas aliquot implebat, & hodie vexatas opiniones tantum non omnes ad censuram vocabat, non sine acerbitate & contumelia, inter alia etiam non semel in me incurrerit: præcipue postquam corollario quinto de omnipräsentia Dei egerat, corollario sexto, meis adductis verbis, quod indignum, & in juvente intolerabile videbatur, ita inferebat: *Male itaque definitur quibusdam Dei omnipræsentia, esse nihil aliud, quam denominatio extrinseca, nata ex operatione Dei, qua in omnibus rebus corporeis operatur; & ob eam operationem iis præsens esse dicitur: cum nihil exprimatur in hac definitione, quod non ambabus ulnis Sociniani lubentes amplectantur.* Cui peracerba criminationi mihi intentata, juvenis eruditus & promptus, *Anthonus Martini*, Vesaliensis, sub meis auspiciis disputationem Analyticam de Prophetiis V. T. quintam habiturus, hoc corollarium opposuit a. d. 2. Maji. *Deus per essentiam suam omnibus rebus præsens est, contra Socin.* Cum vero Deus sit adeo simplex, ut esse, & operari in eo non distinguantur, recte omnipræsentia ejus dicitur denominatio extrinseca, nata ex operatione ejus, qua in omnibus rebus operatur, & propter illam operationem iis præsens esse dicitur. *Si hisce adjungas, qua in Synopsi. lib. 1. cap. xxvii. §. vi, ix, x. xi. habentur, (de operatione hac, qua ab essentia Dei non differt,) facile liquebit, non ex vero à quoquam effutiri, nihil in hac definitione contineri, quod non ambabus ulnis Sociniani lubentes amplectantur.*

IV. Hanc primum & transitoriam velitationem instauravit alias istius causæ partiarius, *Adrianus Bouman*, Broeca-Batavus, qui a. d. 9. Maji in disputatione, hoc titulo: *De methodo Rabbinica interpretandi S. Scripturam*, (quæ qualis fuerit, videri potest) sub praesidio Cl. Essentii τῷ μακαρίῳ, habita, numerosis itidem copiis in aciem processit, & vestigiis Luytū insistens, viginti corollariorum, usque oppido prolixis, Novatorum virus expurgare aggressus est: quorum corollariorum ordine quintum hoc erat: *Cum S. Scriptura plurima (preter intellectum & voluntatem) de Deo attributa, non ut meras negationes & denominations; sed ut absolutas perfectiones, que ad Dei gloriam & nostram beatitudinem*

9

nem pertinent, predicit; quinimò ipsa negationes & denominationes exter-
nae, quæ Deo tribuuntur, reverâ in Deo absolutum fundamentum habeant, &
in ipso positivam perfectionem notent, ut infinitas, immutabilitas, &c. male à
nonnullis afferitur; Attributa Dei interna tantum propriè duo esse, in-
tellectum & voluntatem; reliqua tantum denominationes externas,
relations, aut negationes, quæ ad essentiam Dei internam propriè
non spectent; sed ei tantum tribuantur in ordine ad hominem, aut
alias res externas. *Dicit mirabilia, & minus Novaturientium Hypothesibus*
convenientia: si enim Deus nihil aliud sit, quam cogitatio, quæ est ipse intel-
lectus actus, vel ejusdem operatio, quid ni potius nullum in Deo attributum
concipiunt? In quo corollario cum acriter verbis me electe perstrin-
geret, ipsis meis verbis rursus adductis; verum, quod præcipuum est,
non bona fide ageret, sed dictis meis, quæ suo loco proposueram, o-
missis & preteritis, absurdam ex aliis meis verbis collectionem faceret;
illi necessum habui, omisssis reliquis istis longo ordine positis corol-
lariis, quæ me minus tangebant, hoc brevi & modesto corollario,
Disputationi Analyticæ de prophetiis sextæ subjuncto, occurrere, re-
spondente a. d. 19. Maji *Warnero Koene*, Bremensi, juvēne doctrina &
gratias pariter exculto, hunc in modum: *Externa & relativa attributa,*
quæ præter interna huic Enti (infinito) tribuuntur, absolutum fundamentum in
ipsius essentia & perfectione habent: quod & in Synopsi l. 1. c. 26. §. 1, 2, 6,
10, 12. & c. 27. §. 1. & cap. 28. §. 2, 12, 13. disertis verbis docetur &
affiratur. Qui ergo verba Synopseos l. 2. c. 19. §. 17. de hac distinctiunc attri-
*butorum Dei, excerptis, & in opposit, ipsas negationes & denomina-
tiones externas, quæ Deo tribuuntur, reverâ in Deo absolutum funda-
mentum habere & in ipso positivam perfectionem notare; ille certe,*
cum illud ipsum dictis locis evidentissime dicatur & ostendatur, non bona fide,
sed præter veritatem & caritatem, agit.

V. Hæ leves duntaxat & umbraticæ quasi pugnæ, justo prælio an-
sam necdum daturæ erant, nisi jam acriori tuba classicum cecinisset
sub præsidio prædicti college Cl. ESENII M. JOHANNES REGIUS, qui dis-
putationi suæ, *An reprobi in Inferno sint peccatari?* cuius ipse auctor e-
rat, varia subjecit, eaque virulenta satis corollaria, quorum ordine
duodecimum, quo me petebat, hoc erat: *Dogma Novatorum, quo sta-*
tuitur, infantes in utero materno actualiter peccare, est SS. Literis directe
contradictorium. Vide Rom. 9. vers. 11. Coll. cum Genes. Cap. 25.
v. 22. 23. Cujus disputationis exemplar cum mihi offerret, & una
testimonium facultatis nostræ peteret, habita sunt inter nos amici-

Et ista colloquia , quorum compendium deinceps in *τετραπτυχίῳ*
 Disputationis a. d. 2. Julii à me habitæ, exhibui. Paucis ab isto col-
 loquio habito diebus, nimirum ipsis Cal. Jun. præside Cl. Gerardo
 de Vries, Philosophia Professore & Collega, ne refrigeresceret hic ze-
 lus, aut controversia hæc adeo necessaria silendo evanesceret , ecce .
 Corollarium istud , quod M. Regius duodecimo loco posuerat, ite-
 rum inter multa alia ejusdem argumenti cum superioribus, reponi-
 tur & primo loco disputationi subnectitur à *Frederico Oosterland*, Rot-
 terodamensi , sed novo habitu & auctu exornatum : *Statuimus* , quod
passim docent Orthodoxi Theologi & Philosophi , *Infantes in utero materno non*
actu peccare ; *idque, cum iusdem, confirmari dicimus per Apost. Rom. 9, 11.*
Coll. cu n Gen. 25, 22, 23. Qui ergo hanc assertiōnem Heterodoxam dice-
re non veretur, ille certè prater omnem veritatem & charitatem agit. Quo
vocabulo Heterodoxam nimis aperte prodebat respondens ille, quem
sermonem, licet haec tenus à me non propalatum, nimirum illum
ipsum, quem paucis ante diebus cum M. Regio habueram, respicce-
ret. Quod inferius usū erit.

VI. Et ne animum abjecisse videretur *Joh. Luyts*, aut concedere iis
 quæ ex Synopsi mea a.d. 2. Maji adduxeram, en animosus milès, jam
βεβαιῶν relaturus , in disputatione Inaugurali pro gradu magisterii
 a.d. 15. Jun. diffimulatis iis quæ in contrarium adducta erant pro me,
 eadem reponit corollarii vice verba, sed typorum figura ita variegata,
 ut, quod rebus non præstabatur, literis saltē uncialibus suppleretur,
 & purpureus late qui splendorer pannus assueretur. Hac enim forma
 jam legebatur istud Corollarium : *Speciatim de Divinā omnipræsentia te-*
nendum , *Deum non tantum per operationes ad extra, sed etiam per essentiam*
totius mundo , *singulisque ejus partibus intime præsentem esse, non tamen per*
modum diffusionis ; nam magnus est Deus (*verba sunt magni Augustini*)
sine quantitate, & ideo immensus : *Unde patet male definiti quibusdam*
Dei omnipræsentiam, eam esse NIHIL ALIUD, quam denominatio-
nem extrinsecam, natam ex operatione Dei, quā in omnibus rebus
cörporeis operatur, & ob eam operationem iis præsens esse dicitur :
cum nihil EXPRIMATUR in hac definitione, quod non ambabus ulnis So-
cianiani lubentes amplectantur.

VII. Cui tam atrocí injuriæ , secunda vice mihi repositæ , à
 juvēne imberbi , & jam aliter monito , qui cum ad mea pīscē mutior
 esset, tamen, ne deficere videretur contumacia , eandem maledicenti-
 am rursus occinebat, coactus fui occurrere, & diram criminacionem,
 in

in qua Socinianismus intentabatur (criminantem enim, sine hoc fuisset, infra iram meam habuisse) *τημέτρης a. d. 20.* Junii, respondente *Blaſto Reutero*, Brema Saxone, florentis & modelti ingenii juvēne, repellere, hoc modo: 1. Præsentia omnis, sive ea tantundem dicat ac esse præ sensibus, sive deducatur ab antiquo præssum, vel præsum, quod idem est ac præsto esse, cum sit relativa & τῶν πρόσων, & idem sit quod adesse alicui, & absentia opponatur, manifestum est, quod relationem dicat ad ea quibus aliquis præsens est. Cum enim aliquid relativum sit, oportet in ea existere relatum & correlatum; ac proinde Deo præsentia vel omnipræsentia tribui non potest ante res ipsi coexistentes; quemadmodum creator dici non potest ante res creatas. Nec magis ab ubiquitate aptitudinali, ut loquuntur, sive à potentia coexistendi aliis rebus, Deus ab æterno dici potuit ubique esse, quam à creatione aptitudinali, sive à potentia creandi, quæ in Deo fuit ab æterno, creator ab æterno dici potuit. Cum vero res omnes, prout vel corpora sunt, vel spiritus, sibi invicem præsentes sint, vel contactu & motu corporeo, quod corporum est; vel operatione, quod spirituum est: Deus autem spiritus sit perfectissimus, qui inde etiam actus purus Scholasticis dicitur, recipientibus illud omnibus Theologis; hinc Dei præsentia in rebus aliter concipi non potest, quam quod pendeat ab efficacissima ejus operatione, quæ omnibus rebus, secundum variam ipsarum naturam, potentissime adest. Quæ ejus potentia cum ab essentia ejus non differat, inde non solum virtute & potentia, verum etiam essentia sua omnibus rebus vere & intime præsens est. Ita scriptura omnipræsentiam Dei describit, dicens, eum σὸν μαρτύριον ἐνώπιον ἑνάσσειν πάντας. Εὐ αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινέμεθα, γὰρ ἐσμεν, non longe esse ab unoquaque nostrum. In ipso enim vivimus, moveamur & sumus. *Act. 17: 27, 28.* Et certe qui aliter Dei præsentiam concipiunt, quam quatenus ipsius essentia est actuosa, seu intime operans in omnibus rebus, & inde illis intime præsens, necessario extensionem ac diffusionem Dei per omnes res, quoctunque nomine illam appellant, coguntur admittere: quod spiritualitati & perfectioni Dei summae adversum est, utpote in quo nulla extensio ac diffusio, aut quod illi quoctunque modo analogum concipitur, admitti potest, quin ipsius perfectioni maxime iniqui & injurii simus: quemadmodum ad hunc lapidem offendit (& utinam ille solus!) metaphysicorum Pater Suarezius, de Deo Sect. 7. §. 16. dicens, nos non posse illam divinæ substantiæ dispositionem &

immenitatem (qua intime & realiter est in quacunque re creata) cōcipere, nisi per modum cuiusdam EXTENSIONIS, quam necessario explicamus per ordinem ad corpora, &c. 11. Cui errori ut occurrerem, cum potius per denominationem ab intima Dei in omnibus rebus operatione, quam per denominationem ab hac aut simili extensione, in Synopsi Theol. lib. 1. cap. 26. omnipræsentiam Dei exposuisse, accusor male eam definiere, quod NIHIL ALIUD sit, quam denominatio extrinseca, nata ex operatione Dei, qua in omnibus rebus corporeis operatur, & propter illa n operationem in iis præsens esse dicitur: ratione hac data, cum nihil EXPRIMATUR in hac definitione, quod non ambabus ulnis Sociniani lubentis amplectantur. Quod totum ab imperitia aut malitia est. Jam enim ostensum est, non aliter secundum naturam Dei, in qua nulla extensio aut diffusio concipi potest, quin corporeus conceptus illi affingatur, omnipræsentiam ipsius describi posse, quam ex relatione ad omnes mundi partes, in quibus potentissime operatur. Hoccine vero Sociniani ambabus ulnis amplectantur? Sicuti dictum est à me in eodem illo Capite §. 6. Deum simplicissimo & potentissimo cogitandi actu, quo immediate omnia creat, conservat & gubernat, quique ab essentia ejus non differt, mundo essentialiter & intime præsentem esse: & §. 10. ne cogitari quidem posse, quomodo Deus non ipse immediate per naturam & essentiam suam, sed sola aliqua potentia aut virtute à se distincta (quod Socinianum virus est) omnibus rebus præsens sit. Hoccine Socinianum est? Sed forte hoc vult calumnia, nihil EXPRIMI in hac definitione, quod non ambabus ulnis Sociniani lubentes amplectantur. Sed nec hoc imperitiam aut malitiam diluit. Nam 1. non illis verbis, citatis ex §. 12. Cap. 26. definio omnipræsentiam Dei, quod in præcedentibus factum erat, sed assero duntaxat modum ejus. Cum enim §. 11. refutasset falso conceptum, quo quidam omnipræsentiam Dei concipiunt per modum alicuius extensionis & quasi diffusionis essentiae divinæ per omnia, concludo §. 12. citato, & infero, omnipræsentiam Dei nihil aliud esse quam denominationem extrinsecam, natam ex operatione Dei, &c. quod manifestum est ex vocula illativa ergo, qua utor isthic loci: **Ergo omnipræsentia Dei nihil aliud, quam &c.** hoc est, cum non debat concipi per modum extensionis aut diffusionis, ut §. 11. ostensum erat, nihil superest, nisi ut sit relatio ad omnes mundi partes, in quibus potenter operatur, sive denominatio extrinseca, nata ex illa operatione Dei &c. Ubi non erat locus dicendi operationem illam inyolvere essentiam Dei, cum illud jam dictum esset, & hic tahtum discepta-

13

diseptaretur ; an omnipräsentia concipienda esset per modum extensionis, an vero operationis. Quod posterius solum ibi concluditur. 11. Sed esto , sit definitio. An nihil aliud EXPRIMO , nisi quod Socinianum est, describens omnipräsentiam Dei per ipsius operationem, cum non semel in precedentibus docuisse, illam operationem Dei ab ipsa ejus essentia non differre ? an non secundum eam mentem illa operatio Dei intelligenda erat ? aut an singulis vicibus hoc repetendum erat ? Imo in illo ipso §. 12. in fine addo , Fundamentum omnipresentiae divinae esse summam illam eminentiam Dei , qua omnes res corporales & spirituales ab ipso dependent , tam in initio sua existentiae , quam in duratione , tam quoad substantiam , quam quoad operationes . & §. 14. nominetenus Socinianam hæresin refuto, dicens : Perverse igitur Sociniani Deum in cœlo essentia sua præsentem esse , reliquis autem creaturis solum per potentiam & operationem suam adesse statuunt . & quæ ibi plura contra eos dicuntur. Improbe ergo antecedentia & consequentia verborum meorum divelluntur, ut Socinianus videar, & nihil dicar expressisse in hac mea assertione , quod non ambabus ulnis Sociniani lubentes amplectantur. Quid illiusinodi calumnia , quæsto , non accuset ipsam Catechesin Heidelbergensem , quæ quæst. 27. providentiam Dei non aliter describit , quam quod sit omnipotens & ubique præsens Dei VIS (nulla essentiæ divina mentione facta) qua calum & terram cum omnibus creaturis tanquam manu sua sustinet ac gubernat ? &c. Quæ omnia cum meis verbis accurate convenient eisque plane gemella sunt , ut conferenti patet ; nisi quod ego plura & Socinianis magis adversa in locis citatis dixerim. Nihilne ergo in hac definitione EXPRIMIT Catechesis , quod non ambabus ulnis Sociniani lubentes amplectantur ? Apage. Tam atroci ergo calumnia & diaβολη quum contra omnem veritatem & caritatem , adde & modestiam , pudorem & reverentiam , à primæ lanuginis juvene , exemplo in omnibus Academiis inaudito ; in publica disputatione macter & conspuar , violentissime detortis ac divulsis meis verbis , licet eandem calumniam nuperius a. d. 2 Maji Respondens meus retudisset & mentem meam explicuisset ; fas mihi esset coram Deo & hominibus hoc nomine (quis enim hæresos impactæ patients esse potest?) ex postulare ; nisi magis arrideret illud Davidicūm : Sane maledicat . nam quia Jehova edixit ei , Maledic David , ecquis dicat , Quare sic facis ? Sine quo numine non exciderent juvenes tua modestia & verecundia , dum illis , ut Corinfficii verbis utar , & quod libet , licet , & quod licet , possunt , & quod pollunt.

posunt, audent, & quod audent, aliis molestum non est.

VIII. Cui meo ἐπιμέτρῳ cum proxima disputandi vice D. Collega Philosophus nihil regereret, videbatur una cum laboribus Academicis bellum hoc, iustitium quoque consecuturum & inter spiramenta temporis intermoriturum. Istud vero ne fieret curam gessit modo memoratus Collega, qui cum ista non succellisset, alia plane rem tentavit via, & omilla controversia de omnipräfentia Dei, hactenus mihi mota, quam ἐπιμέτρῳ profligare coactus fueram, ecce aliunde instaurat aciem, & aliam plane prior ac inopinatus objicit litem, nimirum illam quam nuperius moverat in virulento corollario M. Regius, & novissime repetierat Osterlandus. Ea enim προφάσσει quod heterodoxam pronunciasssem illorum juvenum assertionem, licet in privato colloquo, quodque eo sermone ipsum quoque petiisse, qui & in hac & in Leidensi Academia non semel defendisset, *Infantes in utero materno non actualiter peccare*, trabale in me conjicit telum, Mantissa disputationi sua a. d. 23. Jun. animi moderationis ac modestiae parum observante, adjecta.

IX. Quę omnia cum jam ad justam pugnam vergerent, & res aliquam illustrationem & defensionem requireret, ut illi satisfacrem, ἐπιμέτρῳ altero, aliquantum prolixiori, iterum decertare a. d. 2. Julii coactus fui. quod hisce habes. 1. Vara vibiam sequitur. Nuperius cum maledicto res fuit, & dirum hæreseos crimen depellendum. Nunc, si vero rem signare velle nomine, cum mendacio certamen erit. Fabulam potius appellemus, denegati nimirum testimonii orthodoxias, ob negatam hanc thesin, *Infantes in utero materno non actualiter peccare*. Ita enim orbi literato propinatur fabula & ficta historia, quę tamen veros, ut fieri amat, ciet animorum motus. Non mirum. ducitur enim quisque suis opinionibus, quę mundum fere regunt. Enarremus igitur in antecellum ipsum factum, veramque illius exhibeamus speciem, tum de jure dispiciamus. Accessit ad me a. d. xiv. Maji ὁ Θεός, (M. Regius) disputationem perendie habendam oblaturus & simul profectus Theologici testimonium rogaturus. Respondi, ut moris nobis plerumque fuit, consultius mihi videri, ut testimonium conscribat D. Collega, quo præceptore usus fuerat, qui que proinde de profectu ipsius, mihi non cognito, rectius me statuere possit. Quos sermones dum cædimus, & ego interea disputationem oblatam obiter percurro, video illam caudam trahere corollatorium aliquot, non solum oppositorum sententiis quibusdam, à quibus

quibus, recte propositis, me alienum non esse sciebat ; sed & inter ea quorundam acerborum valde. Miror hominem à me testimonium flagitare, quem tot telis impedit, idque huimaniter illi indico, & simul primum, quod occurrebat, corollarium, prælego, ordine XII. cuius hæc erant verba : *Dogma Novatorum, quo statuitur, infantes in utero materno actualiter peccare, est S. S. literis directe contradictorum. Vid. Rom. 9. v. 11. Coll. cum Genes. cap. 25. v. 22, 23.* Rogo, cur tam acriter inve-
hatur in istam sententiam, quām ex ipsis Scripturæ dictis refutari non videbam, quorum mentem, pro meo judicio, aperiebam, explicans simul, quo sensu animam in utero etiam materno actualiter peccare quidam statuant, quos Novatorum nomine traducit, non quasi pec-
cat cum plena cognitione & iudicio, quemadmodum illud fit ab adultis, quibus eo nomine peccatum actuale *κατ' ἔξοχην* tribuitur,
sed quatenus anima, dum est semper actu cogitans, & imagine Dei
destituta, & proinde motibus corporis obnoxia, omnia pro gradu
perceptionis suæ agit per carnalem concupiscentiam, adeoque pec-
cat : & cum aetate ita cogitet & concupiscat, suo etiam sensu actualiter peccat. Ille negat animam actu cogitare in utero materno, cum corpore necdum ad id dispositio ipsa cogitationes tunc temporis necdum formet; imo se existimare, vel ipsum infantem in lucem editum primis à nativitate mensibus sine omni cogitatione esse. Reges-
si, hæc meis auribus mira & nova accidere : aliud enim esse, animam cogitationum in infantia habitarum (& eadem est ratio in utero ma-
terno) non meminisse deinceps, quod nimirū cerebri humiditati me-
moriæque defectui imputandum, aliud illam cogitationes illo tem-
pore non habuisse ; hoc enim fieri non posse, cum in cogitando ani-
mæ essentia consistat. Ille hoc inficiari, aslerereque, nihil ad animæ
essentiam requiri nisi cogitandi potentiam. Regerebam, illam poten-
tiam cogitandi, cum relativum quid sit, requirere subjectum absolu-
tum, cui insit : qualenam igitur illud esset, si actualis illi cogitatio isto
tempore desit ? Aut enim subjectum illius potentia fore aliam po-
tentiam, & hunc processum infinitum futurum ; aut actuale quid :
quod cum extensum esse non queat, nihil superesse nisi cogitandi
actum. Ille reponere, non necesse esse alterutrum horum subjectum
esse istius potentia, cum Deus substantiam tertiam creare queat, quæ
neque extensa esset, neque spiritus. Super quo aliquantulum differe-
bamus. Dicebam inter alia, me stupere ad talia, cumque ipse nova-
torum nomine alios impugnaret, me mirari summis modis haec no-

vitatem maximam & absurdissimam ; meque ipsum obtestari, ut vel unum producat ex veteribus recentioribusve Doctoribus Theologis, qui istius fuerit sententia. Ille pallido ore & tremulis labiis, post aliquam hæsitationem, nominare Theologum aliquem , qui animam per traducem propagari statuat. Respondebam , dubie illud ab eo Theologo proponi, & qualecunque sit , accenseri istud Theologi istius infirmitatibus, quod , sine hoc casu foret, vel ipse cum præceptoribus suis in isto Theologo condemnaturus esset, adeoque istud male ad causæ suæ præsidium nunc adferri. Quibus nunc addo, Theologum hunc traducem videri statuere, non seminalem, sed subtiliorem & spiritualem, ut loquuntur. Inde delabebamus ad brutorum cognitionem, quam ipsis eo modo tribuebat, ut quantum percipere potui, in anima ipsorum jam reapse statueret existere substantiam illam tertiam, quam antea possibilem tantum afferuerat, quæ neque spiritus esset, neque extensum quid. Licet etiam vel priori dicto illam reapse existere affirmare debuerit : cum enim illa potentia cogitandi re ipsa in mente infantis sit, illius autem subjectum nolle esse cogitandi actum, neque rem extensam , non poterat illum juvare, posse esse substantiam aliquam tertiam, nisi revera illa actu quoque existeret. Secus enim nihil ad animæ humanæ sustentationem conferre poterat substantia terrii generis possibilis ; cum anima , quæ ipsi cogitandi potentia absolvebatur , actu existat , adeoque actuale potentia suæ subjectum requirat : quale si non putaret esse substantiam illam tertiam , nihil ad rem faciebat ista responsio. Ego humaniter, ut omnia, illi replicabam , me illi imputare nolle sententia hujus absurdæ & consequentias, meque credere , ipsum illa non videre , & si videret , non admissurum ; sententiam tamen illam mihi , ut novam , ita absurdam quoque videri & periculosam ac heterodoxam , meque adeo hinc valde offendi , & remoram inde mihi per conscientiam injici, orthodoxias testimonio eum exornandi , qui talia affereret. Quæ proferebam , non quod peremptorie decrevissem testimonium illi denegare studiorum (contrarium enim paulo post me professum esse, reverendi quidam in ministerio collegæ norunt) verum ut explorarem, an tueretur illa, quæ ex tempore , constrictus forte argumenti mei vi, ut illam evaderet , sibi excidisse passus erat, exspectans illum rem melius perpensurum , & concessurum veritati, adeoque mollius responsurum , aut saltem responsum suum excusatutum : quo facto ipsum, siquidem institisset, testimonio idoneo, pro more

more meo , quo aliter ac ego in rebus problematicis sentientes trahere soleo , exornare non detrectassem. At ille , licet vultu confusus , pervicaciter tamen eandem cantilenam occinere perrexit , donec ad alios delapsi sumus sermones ; quibus absolutis , ille ad disputacionis actum , quem Cl. Praefidis mors intercepit , me invitans , nulla amplius testimonij mentione facta , & a me humaniter dimissus , discelxit. Quæ omnia non hic retulisse , nisi importuni homines huc me adegitserent , cum urbem vicinasque provincias pridem fabula hac , multum aucta , impleverint , nunc vero etiam à subselliis Academicis falsissimos hosce rumores abesse non patientur. Ita vero rem gestam esse , prout eam fideliter enarravi , licet ipsa verba in omnibus representare non potuerim , Deus Opt. Max. *καρδιογνώσης* novit , cuius iudicio illum committo , qui sciens volensque falsum hic testimonium dixerit. 11. Ex quibus omnibus claret. 1. Quam ab omnivitate absit illa assertio , *crimen heterodoxia ulti impactum esse* , ob negatam illam thesin , infantes in utero materno actualiter peccare ; cum toto isto sermone quo de infantium statu agebamus , aliis heterodoxiam non impegerim , sed Novatorum , ut traducuntur , opinionem , infantes in utero materno actualiter peccare , quæ , tanquam SS. literis directe contradictoria , in Corollario isto infamabatur , ab heterodoxias crimine impacto tantum vindicare studuerim. Quæ totu[m] cælo distant. 11. Quam falsum sit , *testimonium orthodoxias me denegasse* , ab assertionem , infantes in utero materno non actualiter peccare ; cum illud nunquam animum meum subierit , vel in hanc usque horam ; qui facile aliorum opinione fero , quibus peccatum originale explicant , modo illud , quale secundum Scripturam afferendum est , aferant. Neque verbulo de heterodoxia actum fuit occasione istius corollarii , sed dudum post demum , occasione crudæ illius & falsæ assertioni , dari posse , imo dari substantiam tertiam , quæ neque spiritus , neque res extensa fit , talemque substantiam (non aliter enim percipere potui secundum hoc membrum) esse in bestiarum anima cognoscente : cum omnes quotquot retro fuerunt Theologi , mihi saltem noti , omnem omnino substantiam , Deum pariter ac creaturas , spirituum vel rerum extensarum censu exhausti pronunciarint. Judicent de eo orthodoxi & reformati omnes. Sed falso , imo mendaciter , illud ita disseminatum est , quasi nomine assertioni , infantes non actualiter peccare , testimonium detrectassem alicui dare , ut individiaz ita exponeret , dissimulata vera causa & hi-

storia illius rei supra memorata , quæ narranti honorifica futura non erat. Ut si me respiciant illa verba , Non enim placuisse nuperrime thesin hanc , Infantes in utero materno non actualiter peccare , rotundo ore pronunciare HETERODOXAM , idque iterum & tertio ; dico illa esse falsissima , immo , licet illibenter istud dicam , mendacissima . 111. Quicquid de eo fuerit , nescio quo jure Antagonista , ea in se dicta opinatus fuerit . An quia non semel publice defenderit , Infantes in utero materno non actualiter peccare ? Sancte dico , me illud non scivisse , saltem memorem non fuisse , & cum super hoc negotio cum *re d'Avr* concertarem , de ipso aut ullo alio collegarum me non cogitassem . 1v. Dato , in ipsum quoque hac me dicta voluisse , quod tamen falsum , indene illi jus natum , verba intra privatos parietes uni dicta , in suggestum Academicum producendi , & privatim judicium publica censura perstringendi , idque non sine scommatis ? quasi ab ipso sentiendi & loquendo lex nobis figenda esset , & si quis privatim ab ipso dissentiret , mox eo nomine publice flagellandus esset . v. Præcipue temerarium & viro sapiente indignum est facinus , ad nudam juvenis relationem publica charta per omnium ora assertum hoc & collegam suum traducere , parte non audita altera ; quam si audivisset , innocens illam reprehendisset , & mendacia sibi obtrusa detortamque ac mutilatam veritatem vidisset . Dictum sibi credat tam temerarie agens , illud Nicodemi apud Johannem cap . 7: 50. Num lex nostra iudicat hominem , si non audiat ab ipso prius & cognoverit quid faciat ? Ex ista nihilominus falsa narratione , è cathedra Philosophica defensum fuit Cal. Jun. à petulante & audace studiose hoc corollarium : Statuimus quod paucum docent orthodoxi Theologi & Philosophi , Infantes in utero materno non actu peccare ; idque cum insidem , confirmari dicimus per Apost. Rom. 9: 11. coll. cum Gen. 25: 22. 23. Qui ergo hanc assertionem Heterodoxam dicere non veretur , ille certe prater omnem veritatem & charitatem agit . Quod juvenilis cerebri fermentum cum riserim & contemtu refutaverim , ecce prodit nunc a. d. xxiiii. Junii ipsa D. Præsidis manuissa , aciem hanc instaurans & latius explicans . vi. Quodque inaudatum haec tenus in Scholis Philosophicis , suffarta videmus corollaria Philosophica Scripturæ sacræ dictis , falcemque in messem Theologicam missam : quod ne fieret alibi , decreto Illustr. ac præpot. D. D. Ordd. Holl. & West-Frisia pridem cautum est : nec aliter omnibus toto terrarum orbe Academiis fieri consuevit ; aut fieri etiam oportet . Hic vero omnia licent , & illa Theologia ancilla , ut volunt , familia-

59

miliariter satis cum domina sua confuescit, quin & imperiose valde ad præscriptum suum ipsam in ordinem cogit. vii. Quod patet. Quam apposite enim, ut negetur infantes in utero materno actu peccare, adducitur locus è Genesi cap. 25: 22, 23. ubi de gemello-gum in utero Rebeccæ calcitratōe agitur? Bonum factum, Judæis dogmatis imbutos non esse hos Philosophos. Ex illorum enim fide, inordinata istæ foetuum in utero materno calcitratōes, culpa, adeoque peccato actuali non catabant; quin & culpam hanc & anomalos istos motus vitio aut morbo aliquo corporis castigari s̄apē statuebant; ex qua mente discipuli, ut quorundam opinio est, caci istius à nativitate calamitatem deducebant, rogantes Dominum, *Quis peccasset, ille, nimirum in utero materno similibus motibus, an parentes ejus, ut cacus nasceretur?* Joh. 9: 2. Sed Christianis telis pugnabunt fortius, quæ sic vibrant. Negat nimirum Apostolus Rom. 9: 11. *expressis verbis infantes nondum natos, quicquam boni malive commis- sisse.* dextre. Sed non cogitant, quis Apostoli fuerit hic scopus, nimirum negare discrimen, quod divina prædestinatio fecit inter hosce gemellos, ab illorum operibus protectum esse, sed ex proposito Dei, quod est *κατ' ἐποχὴν.* Non negat ergo quicquam boni aut mali in istis infantibus fuisse, sic enim & peccatum originarium quoque negasset, sed nihil, quod ipsos discerneret, nihil actionum bonarum & malarum, quales deinceps, adulti facti, contrariis adeo studiis ediderunt, queque Gen. 25: 27. & seqq. & cap. 27. prolixe recensentur. Ad περὶ ζεύς ergo, quales illorum adultorum deinceps extiterunt, sibi invicem contrarias, *bonas vel malas* ut manifestum est ex voce περὶ ζεύς, respicit Apostolus, & eas præscindit à divino decreto: quid vero hoc ad cogitationes illorum carnales & concupiscentia mancipatas, dum in utero habebant, quæ pariter malæ erant, nullumque inter eos ponebant discrimen; quas ideo præterit Apostolus, & que ac inharentem ipsis habitualem labem? Tertium torquetur telum ex Rom. 5. 12. Quod argumentum Apostoli enarrari hinc clamant. Cum enim hic adstruatur peccatum originis ex morre infantium, tanquam illius peccati pena, ex hac hypothesi excipi posset, eos mori non ab peccatum aliud originale, alienum ac imputatum, verum propter demeritum peccati proprii, actualis & inherentis, quod ipsi consumserunt. Parum nimirum succedit. Contentimus omnes, Apostolum isthic docere mortem per peccatum in omnes homines transisse, adeoque etiam in infantes, certe ob peccatum imputatum. Hoc vero salvo, an cum eo consistere non

potest, infantes quoque actualibus cogitationibus sese reos facere? Negat duntaxat Apostolus, illos peccasse ad similitudinem *m̄s m̄ege-
p̄atoris transgressionis Adamii*, com. 14. hoc est peccato, quod *κατ'
εξοχήν* actuale dicitur, contra expressum Dei præceptum, plena cognitione & voluntatis studio commisso. Hoccine vero tollit motus illos animæ ipsorum in utero materno, sanctitate carentes, adeoque peccaminosos? Si ideo mori non possunt ob *peccatum alienum
& imputatum*, quia moriuntur propter *demeritum peccati proprii, actualis
& inherentis*, negandum etiam erit ipsos mori propter labem originariam, quæ certe *proprium* ipsorum *peccatum & inhärenz* est, & una cum imputato peccato mortis ipsorum causa est, farentibus hæc omnibus Theologis, qui duo hæc componunt, non vero, ut sic satis fit à Nostro, opponunt. Dicam plura. Peccatum hoc imputatum suo modo causa est peccati illius inherentis. Non enim finaret Deus creaturam rationalem ira nasci, labe inherentem foedatam, neque talem illam prodire juberet, nisi propter peccatum Adami imputatum, illam imagine sua destitutam prodire debere judicaret. Tantum abest ut peccatum imputatum causa mortis negetur, asserto peccato inherentem, etiam suo modo actuali; ut contra posterius hoc non nisi ex imputato deduci posse: priore vero admisso, necessario hoc inde profluat. Creatura enim rationalis imagine Dei destituta (ob reatum Adami, cuius est hæres) & actu cogitans, non potest non inherentive, addo etiam suo sensu actualiter, peccatrix esse. Absit ergo, ut hæc doctrina intercedat Doctrinæ Reformatorum de peccato originali, cum illam fortius adstruat & evidentius demeritum illius exponat. Non enim aliter in anima actu cogitante labes originaria concipi potest, nisi in actibus illius justitia originali carentibus, & carnis motibus jam ab initio obsequentibus, iisque non resistentibus: unde deinceps illud concupiscentia dominium & peccatum *κατ' εξοχήν* actuale in adultis progerminat. Posset hinc porro deduci, si hoc ageretur, quo pacto peccati originalis habitus infantes non contamineat, nisi precedentibus modo actibus; quemadmodum etiam ipse Adamus primigenia labis habitum non contraxit, nisi ex precedente actu, licet alterius plane generis & modi, sicut jam ostensum est. viii. Desinat mihi humana nomina objicere, quod Pontificiorum est, cum soli verbo Dei magisterii honorem debeam: præfertim cum illud, quod Theologi omnes Reformati docent, nimirum peccatum originale imputatum & inherentem, ex animo cum ipsius ex verbo

verbo Dei afferam , & nisi fallor, facilius & evidentius exponam , & ab adversariorum scandalô & objectionib[us] magis tutum preflem. Addo, quod & illi Theologi, quos citat Antagonista, mecum tenunt, denegantes peccatum actuale infantibus , quale vulgo dicitur: quod & ego pariter affero ; dicentesque , ipsos iniquitatis fructus non protulisse, manifeste de peccatis externis loquuntur, cum ceteroquin peccati semen ipsi tribuant, quod illud ipsum est, quod ego per motus istos animæ carnales intelligo. Ut licet fortasse in particulari hac explicandi ratione dividia aliqua sit, res ipsa tamen ad amissim conveniat; sicut ipse D. Calvinus fatetur , Infantes dum suam secum damnationem à matris utero adferunt, non alieno, sed suo ipsorum vitio obstricatos esse, habere enim in se inclusum semen. Quod semen non in solo habitu , verum etiam , & primo quidem, in actu vitioso cum consistere doceam , fortius sane hunc nodum adstringo. ix. Sed Antagonista ipse fatetur , assertionem de infantibus etiam in utero actu peccantibus fundari in eo , quod cogitatio actus ab anima separari nequeat: cui judicio subscribo. in sola hac re enim propriæ cardo controversiæ versatur : si enim infantes actu cogitent, cum justitia originali careant, nemo eos actu peccare negaturus est. Agedum ergo satisfaciat argumento meo superius memorato , quo ostendi animæ essentiam non in cogitandi potentia, sed actu consistere: quod sic adstringo. Potentia omnis , cum relativa sit (dicit enim relationem ad agendum) fundari debet in absoluto aliquo , quod illius potentia subjectum sit, uti manifestum est. Nihil enim ut mera potentia existit, aut existere potest. Detur ergo subjectum istius potentia cogitandi, quæ animæ, præcisœ actu omni cogitandi, attribuitur, & in qua animæ essentia ponitur. Subjectum dico, non Logicum, sive prædicationis duntaxat, sed physicum & realis inhæsionis, quemadmodum ipsa potentia cogitandi physica est. Istud subjectum physicum non est aliqua potentia , illa enim ipsa subjectum requirit; sed actuale quid. Illud autem actuale , vel erit duntaxat substantia in genere concepta: quod fieri nequit, cum hic agatur de substantia speciali numerica, de anima hominis hujus & illius: vel erit substantia specialis; quæ tum rursus concipienda est, vel per modum substantiæ extensæ , subtilis & fluidæ fortasse. quod admitti nequit. Substantia enim extensa , qualiscunque sit , subjectum esse non quit cogitationis, quæ spiritualis est. Nihil ergo relinquitur nisi actus spiritualis, hoc est cogitatio, quæ potentia illius subjectum est (imo ab illa non nisi ratione differt, ut latius ostendi hæc possent.) quod pro-

bandum erat. Neq; oggeret hic quispiam somnium de substantia ter-
tia, neque spirituali, neque extensa: illa enim, si vel esset, quod falsissi-
mum, cum alterius sit generis, utique subiectum potentiae cogitan-
di non erit. x. Cum ergo ita demonstratum sit, ipsam animae essen-
tiam in cogitando considerare (non quoad anima sit haec, vel illa cogi-
tatio particulatim, sed cogitatio generaliter, qua in omni cogitandi
actu manet, sive substantia cogitans) videant quam periculosa sit af-
sertio, negare omnem cogitationem ab illa separari posse. Quod si
fiat, quid de anima remanebit? & quomodo non à corporis disposi-
tione pendebit, non solum cogitationis rectus aut impeditior usus, sed
ipsa prorsus animae essentia? Præter cogitationem enim nihil in ani-
ma monstrari potest: per corpus autem stabit, ut anima cogitet,
aut omni etiam cogitatione careat, hoc est, ut sit, vel ut esse desinat.
Et si aliquando esse desinat, ubi nimurum desinet cogitare, ulterior
nasceretur quæstio, unde fiat quod cogitare rursus incipiat, & unde co-
gitatio illa profiliat, hoc est, unde anima illa iterum esse incipiat? si
modo eadem sit anima, cuius nullum commune mansit subiectum,
aut principium. Quid igitur fiet de animæ immortalitate & perenni
existentia? xi. Ab alia parte nulla dari potest ratio, cur illa bestia-
rum anima cognoscens & percipiens, immortalis non sit. Si enim
terra sit substantia, adeoque à corpore revera distincta, non pendebit
à corporis dissolutione illius interitus, non magis quam à corporis hu-
mani destructione pendet interitus mentis nostræ. Ita ergo quod na-
tura sua immortale est, interibit, mens vere spiritualis, exuta omni
cogitatione: & mutatis vicibus, brutorum anima, à sanguine non di-
stincta, secundum Scripturam, Deut. 12: 23. interitus expers erit,
ut pote tota substantia ab illorum corpore diversa: nisi corpori
extenso & materiae, qua tali, conveniat perceptio & cognitio, adeo-
que & perceptionis ac cognitionis conscientia: sine enim nulla
perceptio aut cognitio concipi potest. Dent hisce exitum qui ita phi-
losophantur: aut si illum non reperiant, rectius sapient. viii. Si vel
nemo unquam ante nuperum Philosophum mentem semper cogitare debe-
re asseruerit, illud rei ipsi non præjudicat, cum res haec ante haec
tempora non ita ventilata fuerit, ut forte nec unum nec alterum re-
ceptum ita fuerit. Non defuisse tamen qui hoc viderint inter anti-
quos, si hoc ageremus, ostendere possemus. Consule inter recentiores
Celeberr. Bisterfeldium contra Crellium l. 1. Sect. 2. c. 29. in fi-
ne, ubi de vita animæ separatae (& eadem est ratio animæ corpori u-
nitæ)

unitæ) agens , ita argumentatur : *Si anima seu spiritus boni post ejus mortem ACTU nec intelligit nec vivit; aut aliquid est in imm natura , aug prorsus nihil est.* Addit : *Essentialis ACTIO anima est vita & intelligentia.* Item : *ACTUS anima formalis est vivere & intelligere.* & quæ plura habet. Quæ facillime eluderent hi Antagonistæ & diffarent uno verbo, regerendo, superesse in anima separata cogitandi seu intelligentiæ potentiam. Si enim in ea confusat anima esentia, dicant quæso, cur illa potentia non æque sola subsistere possit extra corpus , quam in corpore ? Sed nolo hac vice pus istud amplius premere. xiiii. Ad hasce ego lineas congregantur , si quibus in veritatem ulterius inquire lubentia est, sed sine magisterio , sine invectivis & dicterioris. In stilteetur oleum , non acetum , quo raduntur mollicellæ auriculæ, quæque id pati recusant : aut si scalpellum vomicae imprimere necesse sit, ignoscatur personæ , servetur illa , & cum ea caritas & honor mutuus quantum fieri potest. Desinant objicere, *mortuis Leonibus ita barbam vulturari*, cum totum hoc negotium collegas defunctos nullis perticis attingat : & vellem eorum urnas non concuti , ne quæ minus forte placebunt dicantur ; cum ceteroquin mortuorum memoriæ honorare non desinam, sicuti vivos amare non des. Desinant etiam inurbanum jacere scomma, de *adjicienda Amesii Casibus conscientia recudendis nova questione*, *An si quis defendendam sumserit hanc thesin*, *Infantes in utero materno non actualiter peccare, tali per conscientiam, dare liceat testimonium Orthodoxius?* Cui illiberali dictorio facile quæ convenirent reponi possent. Sed non hisce telis nobis opus. Si tamen monitorem ferre possint , perpendant, *An per conscientiam liceat anima humanae esentiam sola cogitandi potentia circumscripta, separato omni cogitandi actu (cum extra cogitandi actum nullum potentiae illius subjectum alignari possit) salva anima humanae natura & religione Christiana?* *An licuerit falsitati & mendacio immoliri omnem hanc substructionem , salva veritate & sinceritate?* *An falsis relationibus nisi liceat, parte non audita altera , talva aequitate & justitia?* *An suspicionibus indulgere liceat , & tanquam de se dicta exagitate , quæ ne per somnium quidem de illo dicere aut cogitare incidit, salva caritate & prudentia?* *An privatim dicta , si forte a magistri alicujus opinione recesserint , in publicam cathedram pertrahere liceat , salva modestia?* *An questionem Theologicam, de ratione & modo peccati originalis , licuerit decidere in cathedra Philosophica, & quidem Theologico modo , adducendo dicta Scripturaræ,*

pturæ, & per ea thesin suam *confirmando*, ut loquebantur in corollario Cal. Jun. proposito, salvo ordine Academico? An denique futilibus adeo, quin & fictis ac chimæricis relationibus aures substringendo, licuerit veros inde excitare tumultus, & turbare labantem hactenus & ægre sustentatam Academiæ pacem, salva animi pacifici conscientia? Hæc quæstionum harum novarum, à novis casuistis casibus conscientiæ addendarum, παρεγένεται μετεπίμετρα esse possent. Hactenus ἐπίμετρον. Subiectum illud fuit disputationi Analyticæ de Prophetis V. T. decimæ, habitæ a. d. 2. Julii, respondentे Engelberto Stephani, Kaldekirchha-Juliacensi, juvēne, qui rerum notitiæ singularem linguarum peritiam adjunxit, eaque mentem stipavit.

X. Non silenter id transmissum à Collega, qui mox in disputatione a. d. 4. Julii, de mundo Finito, parte posteriore, ductu suo ab eodem *Oosterlando*, illius auctore, habita, hunc ipsum præmittere sive voluit, sive permisit, prodromi vice, hanc, post alia corollaria, corvidem: Præcedentis Disputationis Corollaria, in gratiam illorum quibus tunc propter temporis angustias satisfieri non potuit, defendenda iterum suscipimus. Speciatim etiam primum: cujus nomine an inurbano illo titulo *Petulantis & Audacis Studioſi*, cuius cerebri fermentum deridendum sit, excipiendus fuerim, cuivis judicandum relinquo; cum neminem lădendo, tantum hanc nostram assertionem ab *Heterodoxia* contra *Quosvis* vindicare studuerim. Quem prodromum a. d. 7. Jul. sequentem exceptit Annexum, & prolixitate, & ingenii ac styli vehementia, aliisque characteribus, de quibus lector judicet, mantillæ minime cedens: quod hisce quoque inferere statueram; sed cum nimia prolixitate (excurrit enim ad tres fere quaterniones) molem hujus opusculi nimium aucturum esset, & præcipua illius (res quod attinet, dictis enim acrioribus non adeo inhæſi) ex vindiciis meis colligi possint, laborem illum hic compendifacendum duxi.

XI. Ex toto hoc processu historico apparet, à quibus primi in hac Academia motus & pacis turbatio profluxerint. Quando nimirum ego spectatoris, non vero actoris vices sustinens, dum illi τὰς κατατάσσουσας δόξας fervidissime propugnabant, universumque quasi mundum illorum disputationibus relinquens, quoque uno videbar fugientem posse tenere pacem, tacens; eo nihilominus satisfacere, & extra telorum jactum agere non potui. Primum impetum sustinui à Collegis, binorum innocuorum Corollariorum respondentis mei nomine,

nomine ; an nimirum in fide ; an vero post illam duntaxat sit amor, & quanta Scripturæ sit latitudo . quæ atro carbone notanda censem̄t collegæ. Illo impetu desaviente , altera mihi controversia facta, non de corollario, aut thesi aliqua , super qua in Academia configebatur , quod æquiori animo tolerassem ; sed super doctrina libri mei, quæ in cathedram Academicam protrahebatur ab imberibus juvenibus, modo divisionem meam attributorum divinorum sigillantibus, modo circa omnipræsentiam Dei Socinianæ hæreſeos me arcessentibus, modo conceptum peccati originalis , quale in infantibus est in utero materno , & à quo me non alienum esse sciebant , tanquam directe S.S.literis contradictorium accusantibus,geminaque è cathedra, Philosophica pariter ac Theologica, me perstringentibus , aucto-mentumque à præsidibus suis, Collegis meis, à me ne verbo læfis, ac-cipientibus. Quæ omnia etsi tam clarum reddant, à quibus turbata sit Academiæ nostræ pax, quam cælum esse, cum sudum est, solet: cum tamen hoc ipsum amoliri à fœse conetur quam maxime collega Philosophus , multumque hic pulverem moyeat in novissimo an-nexo ; agendum breviter illum discutiamus , & veritatem in luce sua nativa exhibeamus. Ne vero rebus facti utrinque disceptatis char-tam impleamus , breviter illustriora duntaxat premamus , levibus-que stricturis reliqua percurramus. Negotium autem omne hoc in trium juvenum causa præcipue versabitur, *Luyſii*, *Oosterlandi* & *M. Regi*.

XII. In *Luyſii* causa , à quo bis Socinianæ hæreſeos insimulatus sum , exceptione non una utuntur , & ursum hunc operofissime lambunt. 1. non assignatam esse personam quæ id dicat , aut textum , in quo ista occurrit. 11. quin ne quidem aliis typis verba hac exprimi. Candide admodum quasi hiſce opus sit, ubi ipsa mea formalia verba producuntur & ad incudem revocantur. Secus enim ne quidem ampliss. Velthuſium impetiſſent, cum nec ipsius persona hic assignata fit , aut verba illius, quæ tamen fatentur se verbotenus ex ipſo descripsisse , aliis typis expressa ſint. Ut nesciam qua specie hæc dicantur. 11. Subjectam ratio-nem nulli hæreſeos crimen impingere ; sed folūmodo ab absurdō consequenti probare male ſic definiri omnipræsentiam. Nimirum hoc opere erat preti-um, Professoris Theologi verba, libro contenta, per juvenū ora trahi ob aliquę fortasse expreſſionis in definitione defectum duntaxat. At hoc agebatur, nihil illa definitione exprimi , quod non ambabus ulnis Sociniani lubentes amplecterentur, quodq; proinde non ambabus ulnis

lubens largiretur Reformatus Theologus ; idque eo tempore ; quo
 Socinianismi passim hæc omnipræsentia explicandæ ratio aperte à
 maleferiatis hominibus incusatur. Hic latus duntaxat est , & hic *nulla*
injuria species in opponentem, h.e. me, aut quemcumque alium , ut homi-
 nes humanissimi loquuntur. 111. *Synopsi* meam ad id usque tem-
 pus hac de re non inspexisse respondentem illum , sed verba illa extare in
 Doctissimi cuiusdam Viri tractatu de initius prima Philosophia , Pag. 182. unde
 & hæc sua verbotenus descripsit Opponens. Fateor, ex illo libro verba illa me
 mutuatum esse, cum perquam succincta & efficacia mihi viderentur,
 quod nescio an extra hunc locum de Deo uspiam facile in tota Synop-
 si ostendi possit; ut occasione tam paucorum verborum sarcastica illa
 Philosophi admonitione, monendos esse posthac sub ipsius præsidio defensu-
 ros studiosos , accurate perlegant *Synopsi* D. Opponentis , ne quid per infor-
 tunium contra alios authores corollarii suis inferant , quod ipse transcri-
 bendo fecerit suum , opus plane non fuerit. Sed videamus , quid illa
 ipsa exceptio solidi tinniat. Verba illa cum mea fecisset , in illis me
 impugnari certum erat. Neque hoc negant Antagonistæ. Neque
 enim negant sese scivisse , in mea *Synopsi* illa contineri. id ne dicant
 apprime carent. Sed tantum , ad id usque tempus eam hac de re non in-
 spexisse Respondentem . Ita sermonem obliquare solent , qui latibula
 quarunt , & confiteri erubescunt ea, quorum sese conscius norunt ;
 ut verba eorum ambiguitate fallaciosa sint , aut reservationibus men-
 talibus suspensa. Potuerat inspexisse alius , qui ea suggererat , quo-
 cumque id factum sit modo , ut inferius videbimus , respondentem.
 Nec negatur eam inspexisse deinceps respondens , cum secunda vice
 eadem verba reponeret , quando respondens meus verba illa , tan-
 quam mea , vindicaverat , citatis locis ex *Synopsi* mea. Tunc tempo-
 ris ergo anne adhuc ignorabat Respondens (modo id unquam igno-
 raverit) illa mea esse verba ? Sique me noluisset videri impugnasse ,
 maxime cum videret me ita judicare , & de eo conqueri in respon-
 dentis corollario , cur non in secunda Disputatione , ubi eandem cri-
 minationem repetebat , verbulo moriebat , se meam *synopsi* non re-
 spexisse; aut saltem , quam simplicissime agendo , duntaxat paginam
 tractatus Velthusiani apposuisse , ut me non peti mihi persuadere
 potuisset ; potius quam ut tantum verba eadem reponeret eo animo ,
 ut si quis corollarium id suum movere voluisset , mentem pressius explicandi
 nanciseretur occasionem ? Sed quid si illam occasionem non nancise-
 retur , prout ipsum illam in ea disputatione non hactum credo , ne-

mo mentem ejus cognovisset, sed periti jure meritoque in me hæc dicta, quemadmodum & factum, existimassent. Sed pellucet hoc artificium. Verba libri ab ipsis citati hæc sunt pag. 182. *Quasi Dei immensitas, sumta pro omniprésentia Dei, aliud quid in Deo esset, quam denominatio extrinseca, nata ex operatione Dei, qua in omnibus rebus corporeis operatur;* & propter illam operationem ius præsens esse dicitur. Verba Synopseos meæ sunt: *Est ergo omniprésentia Dei nihil aliud, quam denominatio extrinseca, nata ex operatione Dei, qua in omnibus rebus corporeis operatur,* & propter illam operationem ius præsens esse dicitur. Respondentis verba sunt: *Unde pale definiri quibusdam Dei omniprésentiam, eam esse NIHIL ALIUD, quam denominationem extrinsecam, natam ex operatione Dei, qua in omnibus rebus corporeis operatur,* & ob eam operationem ius præsens esse dicitur. Tota emphasis hic ponitur in vocibus NIHIL ALIUD, quæ proinde uncialibus literis in disputatione Luytſii Inaugurali exprimuntur. Illa autem duntaxat in mea Synopsi occurrunt, non vero in libro citato, ubi dicitur: *quasi aliud quid in Deo esset.* quæ quoad rem eadem quidem esse fateor; sed tamen ubi alterius verba citantur, imprimis tanquam emphatica, maxime uncialibus literis expressa, ibi eadem omnino verba secundum omnes apices retinenda sunt, & si quæ alia addas vel mutes, conspicuum esse debet, quæ tua, quæ auctoris ipsius formalia verba sint. quod & hic fieri debuisset, ubi nulla omnino erat necessitas quicquam immutandi in citatis Ampliss. Velthusi verbis, quæ eodem modo ac apud ipsum leguntur omnino exhiberi potuissent. Illud adeo manifestum est, ut ego quidem nullus dubitare possim, quin mea verba uncialibus istis literis designaverint, & ita judicaturum universum literatorum orbem, si de hisce cognosceret, certus sum. Accedit, quod omissa sint verba, *in Deo, quæ A. Velthusius habet, non vero ego habeo, uti nec Luytſius:* quod rursus arguit, cujus verba descriperit. Sed quorsum probationes adducimus? Agamus *σοχασινῶς.* Extat & versatur in horum hominum manibus recentioris incudit liber D. Melchioris Leydekeri, dictus *Fax Veritatis, an Falsitatis & Diffidii,* mihi non lectus, nec, ut credo, unquam legendus; quantum tamen fugiente oculo illum perlustrare potui, pro meo captu, à nullo bonę frugis dicto aut argumento, sed à diligente & laboriosa sophistice, ne alia dicam, mihi cognitus: in quo cum multam paginam conficiam, inter alia plurima ex mea Synopsi pag. 144. hæc citantur verba: *Est ergo omniprésentia Dei nihil aliud quam denominatio extrinseca, nata ex operatione Dei, qua in omnibus rebus corporeis operatur,* & propter illam operationem ius præsens esse dicitur. Quibus ita relatis, addit iste

auctor: *Quæ sunt ipsissima verba impuri (condonet illi Deus hanc & similes calumnias !) illius Velthusii*, lib. de init. prim. Phil. p. 182. 183. Hoc loco mea citantur & simul ampl. Velthusii verba. Vide quam id meis Antagonistis percommodum sit. Pone, verba Luytſii hinc desumpta esse, una cum appendice virulentissima de Socinianismo, quam etiam planissime suppeditare potuit idem auctor pag. 148, 149. Erunt sic illa eadem mea verba quæ citavit Luytſius; præcipue cum illa, quæ tanta cum emphasi & majore charactere, NIHIL A LIUD. citavit, ibi compareant. Ita ergo ego illis ipsis verbis impugnari poteram. Si quis tamen rogasset, an mea sic citarentur verba, *sancte affirmare* poterat Respondens, se meam Synopsin ad id usque tempus hac de re non inspexisse: quin imo addi potuit, secundum auctoris illius vestigia, hæc esse ipsissima verba impuri illius Velthusii. Honesta oratio in salvo res est. Ita exitus reperitur ex inextricabili cæteroquin, ut videretur, difficultate, quod ipsa mea, non vero ampliss. Velthusii formalia verba uncialibus literis citata apparent, & tamen mea non sit inspecta Synopsis: nimirum ita mea verba, allucente hac face, imo in ipsa, viderant, non tamen inspecta forte tunc temporis Synopsis. An vero non mea simul hæc esse verba, Facis istius, aliusve beneficio sciverint, an non me per illa, publica charta, & quidem iterata, impugnaverint, rogandum non est, neque enim ad hæc respondent ipsi, pro suo candore: hoc ergo Deo committendum, cui arcana omnia pectoris humani patent, qui ex illis aliquando nos judicabit. Sed vel missis hisce, abunde evictum esse censeo ex præcedentibus, me fuisse, quem in hoc corollario petiit juvenis ille. Ut judicare hinc quisvis possit de vehementia Antagonista mei, qui ἐπιμέτρον meum primum acerbissimum esse vociferatur, nulla alia acerbitas nota prolata, quam quod magistrum pridie solenniter ab ipso promotum, teu maledicium Simei reum egerim atrocis calumnia & διαβολῆς. Operè esset pretium conferre cum his ἐπιμέτρος verba, quod brevitatis causa facere omitto. Dixeram, quum tam atroci calumnia & διαβολῆ master & conspuat, fas mihi esset coram Deo & hominibus hoc nomine (quis enim hæreos impacta patiens esse potest?) expostulare; nisi magis arrideret illud Davidicum: Sane maledicat &c. Quæ hic acerbitas, aut ira effuso, uti superius loquitur? quid acerbius hæreos criminis? cuius dicam juvenis immerenti & insonti viro scribit; neque licebit ei hic illud Davidicum memorare? Nulla hic omnino acerbitas, à qua maxime me abstinui, qui neminem unquam dente Theonino rosi, aut leonino lacceravi. Sed non mirum, quod hominibus qui contradictionem pati hactenus

haec tenus sueti non sunt , dum dicenda & non dicenda in alios eru-
ctant, ubi obloqui aliquem tandem vident, & suum factum ipsis tan-
quam in speculo objicere, πικρὸν τὸ ἀληθὲς videatur, quodq; aures blan-
didicis adulatorum dictis demulceri solitas , salubris veri aciditate de-
tergeri non possint pati. Quod addit (curat enim vel minima hic
prætor) me habita disput, istius respondentis, abiisse ex Senatu Academicō
(ex Academia dixisset, & vere dixisset, absoluta nimirum disputatio-
ne , Senatui enim non interfui , adeoque nec ex illo abivi) deinde
etiam à DD. Professorum serie , Novellum Doctorem pro more , domum dedu-
cente, præterquam quod ipsi hujus rei rationem reddere non teneat,
judicet unusquisque, an, si vel nulla alia de causa ita instituisse, quam
quod istum honorem bis maledico juveni non debebam , & elo-
gio modestiæ (quod in doctoralibus testimoniosis æque requiritur ac
eruditionis) ipsum ornare non poteram , non sola illa causa justissi-
ma fuerit ? Ejusdem μεμερός est, quod præscribat , non sine ad-
mixtis falsitatibus, quo ordine cum isto respondentente agere debuerim,
adjecto epiphonemate circa mei ēμπέτες editionem , Quo scopo , Deus
scit & ipse novit . Quasi aliud habuissim illum scopum , quam infru-
nitam hanc calumniam , in facie totius Academiæ mihi innocentissi-
mo à juvēne objectam , repellere. De hac nimirum re citra compel-
lationem nominis divini transfigi non poterat.

X III. Alter horum συμμάχων fuit Oosterlandus , de cuius petu-
lantia , & audacia , & juvenilis cerebri fermento , quod rīsi & contemtu refu-
tavi (non quod deridendum sit, ut non bona fide repetitur) merito con-
questus sum , cum ille prior ausus sit sermonem meum cum Regio
habitum, privatum, ad ipsum plane nihil attinentem , addo & men-
daciter ac falso narratum , me non auditο , in suggestum Academicū
protrahere, & sua, si Deo placet , censoria virgula notare. Die
enim 14. Maij Regius mecum colloquitur, disseminat inde me hetero-
doxiæ damnasse assertionem hanc , Infantes in utero materno actu
non peccare . Illa calumnia ab eo tempore maxime gliscit. Calendis
Junii Oosterlandus ipsa fere verba corollarii Regiani repetit , subjungit-
que : Qui ergo hanc assertionem Heterodoxam dicere non veretur , ille certe
prater omnem veritatem & caritatem agit . Ubi quot verba sunt, tot sunt
argumenta , me hoc corollario infignite petitum esse. 1. Reponitur
corollarium Regianum, de quo me conquestum noverat Regius , &
per ipsum Oosterlandus. 11. Scribitur, hanc assertionem Heterodoxam
dici, quæ erat ipsa calumnia Regiana mihi impacta. 111. Concludi-

tur, illum qui hoc dicere non veretur, *preter omnem veritatem & caritatem agere*, quæ erant ipsa mea verba, quibus, excepto vocabulo *omnem*, Boumanni calumniam a. d. 19. Maji argueram, quæ secundum horum gladiatorum elegantiam in me retorquentur. Ut omnia me directe petant & electe. Ille nihilominus *Osterlandus*, in fine corollariorum, subjunctorum disputationi a. d. 4. Jul. petulantis & audacis studiosi notam expuncturus, plenis buccis clamat, *se neminem iudendo, tantum banc assertionem suam ab Heterodoxia contra Quosvis vindicare studuisse*. O hominum fidem! Eum contra *quosvis*, mecum sentientes, simul assertionem suam vindicare studuisse dederim, sed *tantum contra Quosvis*, non vero directe, primario & electe contra me, quem tot modis in brevi isto corollario delineavit, hæc se posuisse, aū sim dicere, licet invitus, esse mendacium. Asinos & stipites se lectores habituros esse credidisse necesse est, qui tam perficta fronte aūgunt. *Quemadmodum* nec testes desunt, qui ex ipsius ore perceperrunt, adversus me hoc corollarium ab ipso conscriptum fuisse. Hic nimis est *ornatissimus* ille *studiosus*, cui *quod ad singularem modestiam pares, raros novit universa Academia*, teste D. Praefide ipsius. Qualis si sit, & etiamnum audiat, cum plane alium hic se prætiterit, oportet D. Praesidem nosse, à quo & qua ratione ab hac sua modestia depulsus fuerit, aut quomodo impulsus fuerit, ut talia patrans, nihilominus à singulari modestia laudari possit.

XIV. Hunc tamen superare crediderim M. Regium, tertium *πρόμαχον*, & assabulationis de heterodoxia machinatorem & disseminatorem falsissimum. Qui licet milles testimonium suum deponat penes Actuarium, & si velit, vel Jovem lapidem juret, non tamen meam convincit conscientiam, optime horum omnium memorem, & per Dei gratiam tam castam veritatis cultricem, ut ne quidem, præfiscine dixerim, ullius temerariæ aut gravioris asseverationis, citra necessitatem prolatæ, per omnem vitam mihi sim conscientius. Et licet nihilominus multorum falstroloquiorum me redarguat cor meum, quis enim lingua non impingit? Deus tamen à me abesse sinat ut sciens volenque perjurus evadam, cui in omni vita & que ac verbis, nihil adeo cordi fuit ac προτιμῶ τὴν αληθείαν. Et ut utamur illo Calliano, Cui bono? quæ mihi quæso hujus mendacii necessitas aut quis fructus fuisset? Non erat ut subterfugerem fateri, me heterodoxias labi pulsasse illam ipsius de infantibus assertionem, eoque nomine testimonium ipsi denegasse, siquidem id fecisset, cum mox ostensi-
rus

rūs sim ; quanto jure id facere potuisse , & Collegium exemplis
 quam maxime me tueri : ut nulla hæc negandi mihi fuerit ratio , nisi
 quia facta ac dicta non erant . Huic vero juveni mendacii magna , ut
 homines sumus , constare poterat ratio , cum si ex vero narrasset
 omnia , parum sibi honorificam propalasset narrationem , uti ex re-
 spondentibus ipsius in *éxamen* meo exhibitis constat . Et quid de
 candore horum hominum sentiendum sit , jam vidimus . Afferit in
 publica disputatione *Oosterlandus* , se corollario suo tantum assertionem
 suam ab heterodoxia contra *quovis* vindicare studuisse , & procul du-
 bio requirente D. Gerardo de Vries , ut habet instrumentum Regia-
 num , illud publice deponeret , paratus quoque juramento id corro-
 borare . De fide tamen horum dictorum judicabit ex dictis orbis lite-
 ratus . *Sancte affirmat Luytius* , se *Synopsis* meam *ad id usque tempus* hac de-
 re *non inspexisse* . Ut nimur videatur mea verba non oppugnasse . nec
 tamen dicit , se vel tunc , vel etiam deinceps , hæc mea verba esse , com-
 pertum non habuisse : prout necessario illud *compertum* habuit , si
 non ex Face Veritatis , aut aliunde , saltem ex respondentis mei co-
 rollario ipsi prima vice opposito . post quod eadem sua verba repon-
 nere est causus , & tamen videri vult me non impugnasse . Judicet or-
 bis eruditus de testimonii hujus sanctimonia . Quin in hoc ipso in-
 strumento testatur *Regius* , sibi à me *immediate denegatum esse testimoni-*
um , *nullo alio fundamento* , *nisi propter corollarium de infantibus in utero*
materno non actu peccantibus , quod planissime falsum est , ut relatum ali-
 as . Dicit in prima depositione , me causatum esse , ipsum *assertione usum*
fuisse heterodoxa . *quod ipse multis iisq; humanis rationibus solverat* . Illene vero
 causationem de heterodoxia assertoris suæ (ipsi non impacta) sol-
 vit , qui ne my Græcum pro assertione sua produxit ? imo cum ego
 pro orthodoxya meę assertoris ratiocinarer , ne quidem meas rationes
 ullo modo solvit , prout in facti narratione docui : qui ad summum
 mirificam illam exceptionem de substantia sua tertia chimærica , cum
 inter duas substantias veras misere premeretur , reponere ad mea ra-
 tiocinia conatus duntaxat est . Hoccine est *multis* , *iisque humanis ser-*
monibus , *aut rationibus* , *solvere mea dicta* ? quod non dubiam vi-
 etoriam exprimit . quam ut obtinuisse illum lector judicare poterit
 ex dictis , ita de veritate verborum horum statuere ipsi licebit . Ad-
 dit , se post hæc *institisse in petendo testimonio* ; *quod iterum ipsi denegari* .
 At probe mihi constat , semel duntaxat illi me testimonium denega-
 se . Prima enim petitione illud non denegavi , sed dixi , *consilios mi-*

hi videri, illud à collegā, qui rōv ēv ἀγῶνας, conscribi ad quod cum quedam de infirmitate Cl. Collegæ, & alia, exciperet, & interea, thesi bus ipsius à me inspectis, differeremus de natura & cogitationibus animæ, & ille ad mea ratiocinia ora resolyeret in absurdâ & periculosa illa asserta, qua mihi heterodoxa sane videbantur, & tum demum difficultatem necterem in dando testimonio talia afferenti, ille ne verbum ulterius de testimonio fatus est: hoc enim ipsum exspectabam, sententiam emolliturus, si ipse emollivisset sua asserta, uti in facti narratione ostendi, ac proinde attentus ad hæc eram toto in sequenti sermone, usque dum ante fores ipsum deducebam & dimitebam, cum ad disputationem me rursus invitaret, sed nihil plane de testimonio vel mullitaret. qua ergo fide, aut probabilitate hæc hic deponuntur?

XV. *Stupet narrationes has adeo sibi repugnantes meus Antagonista, pronunciatque, se linquere totam narrationem suo loco & pretio: interim totam meam narrationem evertere conatur, & hæc annotat, tam acutum hic cernens ac si aquila esset, aut serpens Epidaurius; quia nimurum, i. narratio mea non uno & continuo textu proponitur, excisa ex disputatione mea prima pagella, substituta alia: quam ob causam nescit, novi ego. Conjicio quisque ut rolet.* Hæc nimurum ejus caritas est. excisa pagella est, quia, illa jam impressa, incidit quid, quod additum volui, quod vel viris maximis ultiatum norunt omnes. Indene ergo textus non unus & continuus mansic ostendatur id minimo indicio. II. quia fateor, me ipsa verba non repræsentare, nec posse, cum D. Doctor affirmet sancte, se probe probeque nosse ea ipsa verba pronunciata sic esse. Atqui hoc putabam mei candoris & modestiæ esse, fateri, me sermonis tam prolixii, ac refe rebam, ipsa verba, in omnibus, ut dixi, non repræsentare, quis enim id posset? sed rem ipsam fideliter me dicere. Si Doctor hic totius sermonis verba formalia exhibuerit, cur quæso tam abruptam & brevem narrationem deposituit, & non totum sermonem nostrum ab initio ad finem, prout à me factum? Cauta sane. Cum enim in brevi hac de positione non bene cohærentia appareant, quid non in prolixiori narratione illi excidisset? Verum, fateor, de formalibus verbis denegati testimonii non est hic lis, sed de loco & tempore quibus ista verba pronunciata sint, & qua de causa denegatio ista facta sit. III. quia narrantur hic quædam, qua quamvis vera esse possunt, vix tamen veri speciem ullam habent. E. G. quod Philosophie Doctor, nec is obtusi ingenii, ad imbellè dilemma propositum de subiecto potentia cogitandi, aliter se expedire

non potuerit , quam configiendo ad substantiam terniam , qua nec spiritus sit ,
 neque res extensa ; &c. Quam veri speciem hæc habuerint , docebat ist-
 hoc tempore oris istius doctoralis species & figura , ad quam resolven-
 dam ~~sequatur~~ opus non erat . Et forte non sine ritu aliquis
 hæc legat , mireturque negari , ab imbelli dilemmate Philosophiæ
 Doctorem , neque eum obtusi ingenii , se expedire potuisse , cum ab
 eodem imbelli dilemmate , post Philosophiæ Doctorem , Philosophiæ
 Professor , isque multo minus obtusi ingenii , ne quidem se expeditre
 potuerit hactenus , & in cæteris verbosus , hic verborum parcus , li-
 bratis gressibus incesserit , & Parthi more quasi pugnam exercuerit fu-
 gitivam , neque tamen jaculis retro jactis , verum inanibus verbis .
 Doctor ille ad substantiam tertiam configiens , eructabat tandem ve-
 ram substantiam , mentem humanam , ex traduce , ut sciscere ajet
 quendam , seminarum : Professor noster curatiori meditatione for-
 mas hic produxit , qua materiales , & tamen non materia sint , entia ,
 non nisi ipsis Aristotelicæ Philosophiæ epoptis , imo ne quidem hisce ,
 cognita : & illa tamen substantiæ tertiae vicem supplebunt . iv. Addi
 potest hisce , quod inferius objiciat , qua fronte dicam & quidem sancte ,
 me in ista concertatione de nullo collegarum cogitasse ; nisi affectu
 abruptus , nesciverim me manu tenere disput . Cl. Effenii , quam ipsam impu-
 gnabam . Objecerat D. Antagonista , & satis aperte pronunciarat , me
 Collegis defunctis , mortuis leonibus , barbam vellicasse , heterodoxias
 insimulando assertionem illam M. Regii . Regesseram inter alia , me
 in ista concertatione de nullo collegarum , nimirum respectu hujus
 assertionis , cogitasse . Ita est . Mirabar equidem & dolebat Cl. Col-
 legam , nunc μαναικτην , cum ipse gemeret sub manu Dei , & nos ,
 electeque ego , gemeremus cum ipso , & ipsius gratia , nihilominus
 saxum hoc Sisyphi in ipsis extremis volvere , suumque præsidium
 maledicis istis juvenibus contra me tam directe commodare , nulla
 occasione aut causa data ; attamen in concertatione cum Regio il-
 lum ipsum solum reprehendi , de Collega meo non agens , licet ipsius
 disputationem manu tenerem ; non enim disputationem impugna-
 bam , ut falsissime hic dicitur , sed Corollarium illud , quod non
 præsidis , sed Respondentis esse sciebam , adeoque huic id omne im-
 putabam . Judicet ergo lector , qua ratione subnixus pronunciet An-
 tagonista meus , Certe si & cetera sic sancte dicantur , nescio quid de iis
 sentire oporteat . Putabam equidem , meam hic potiorem debere vide-
 ri causam , saltem mihi met ipsi , qui ipse de propriis congressibus

meo ore refero, cum alii non nisi ex alterius relatione hic loqui possint: attamen accurato huic rerum pensulatori, qui incredibilia ista juventum trium subterfugia sancta esse jussit, tam incredibile videatur, me, manu tenentem præsidis disputationem, affectu non abrepsum fuisse & ipsum non impugnasse, sed respondentis corollarium duntaxat, cum tamen de eo solo esset quæstio & sermo; ut hoc nomine omnem fidem tantum non mihi abroget eamque in lutum proturbet: cum ego optime mihi conscius sim, me audaciam istius juvenis mirantem & improbantem, ipsi soli hoc imputasse, non Collegæ defuncto. Sed quod alii volunt, videtur verum esse debere, sive ita gestum fuerit, sive non.

XVI. Ita nos evolvimus ex his tricis & minutiis, quibus inhærente coacti sumus, ut rei suæ constaret veritas. Ita enim D. Antagonista, *Quæstio cum facti sit, sine illa exhibita nec sua D. Doctori veracitas, nec mihi prudentia, hic salva esse potest.* Quomodo Doctori illi sua constet veracitas, Deus judicabit. Ego jure meritoq; mendacii illum arcelli vi, licet illubenter in honesto isto vocabulo me usum esse dixerim; quæ Antagonista meus pro sua civilitate ita reddit, quod mendax impostor publice proclametur. Sed videamus nunc, quo pæco ipsi D. Collegæ sua salva sit prudentia, qui ex hoc meo cum illo Magistro privato sermone, eoque male ac falso relato, ad ipsum præterea non pertinente, me non audito, rem hanc publicam facit, in cathedram Philosophicam trahit quæstionem Theologicam, & de heterodoxia sibi à me impacta falso simul ac temerarie queritur. Non afferit ista, quæ fingit de heterodoxia, directe in se dicta, uti nec negat. Non ergo causam habebat directe adeo & præter ordinem mantilla ista in me insurgendi. *Dicta saltē in discipulum, qui istam doctrinam, à se passim publice traditam, haurierat.* Dicta jure maximo in discipulum, qui istam doctrinam, à me publice traditam Synops. l. 11. cap. 9. §. 20. tanquam Novatorum dogma & S. S. literis directe contradicitorum traducebat. Dictum id ipsi privatim, quique, cum obtusi ingenii non esset, ad id ipse respondere poterat. *Dicta pariter in Collegam Cl. Essentium, disputationis præstem.* de eo jam actum. Cumque rogalsem, unde jus illi natum fuerit, verba uni homini inter privatos parietes dicta in suggestum Academicum producendi &c. respondet, *quasi negotium privatum sit negare alicui testimoniū publicum facultatis, ob afferiones publice defensas?* Non nomine facultatis negabam, sed meo, non publice, sed privatim, in meis ædibus, non in facultate Philosophica, cuius ipse membrum est, sed

sed Theologica, & superiori, quæ nihil ad ipsum, nisi hic ædilitatem gerat sine suffragio populi. Rogat, *Et qui non publica habenda res, cuius fama, ut ait Opponens, urbem vicinasque provincias pridem impleverat? Publicata ergo de re publica calumnia publica apologia necessario occurendum fuit.* Publicaverat ac disseminaverat illam rem nemo primus nisi fallissimi rumoris architectus ac machinator cum suis. Ego sermones eos, ubi habiti erant, neglexi & contemsi, tunc demum de iis locutus, cum ab amicis & obviis accepi plena istius mendacii esse omnium ora. Sed vel publicatum meum de heterodoxia istius assertionis judicium, si vel tale tulisse, illum heterodoxum non faciebat; multo minus calumniæ habebat speciem: quod qua fronte dici possit, scire averem. Non ergo hinc Apologia opus, non Academica disputatione, non certe ab ipso, qui istius fabulæ neque actor, neque pars in meis ædibus fuerat. Sed pruriebant manus, captabatur occasio me petendi, & hoc omnia attrigabant. Porro se me traduxisse in mantissa negat. Attamen in ea primis verbis queritur *de impacto heterodoxæ criminis, & causatur mox, jubere boni nominis amorem, jubere in defunctos Collegas pietatem, amotiri paucis criminationem haud leviter in beatos eorumque manes injuriam.* hoc nimis est laudare, & non traducere. Vide mantissæ reliqua & præcipue aculeatissimam illius caudam. Temere se non egisse ait, fide adhibita tot elogiorum, quæ in illum congerit, juveni, de quibus vidiinus. Nisi temere etiam agant illi, quos sibi, factum suo modo narranti credere ruit D. Opponens. Non volo ullum mihi credere ulterius, quam testimonium meum verum esse deprehendere possit. Quod & pariter ab altera parte faciendum fuerat, non vero ex incerta narratione motus publici ciendi & quies Academiq sollicitanda. *Dictum Ioh. 7: 50. sibi applicet Opponens, ait, in negotio cum altero Doctore, maledico scilicet, cui ipse imprudentissime se implicuit, non audita parte altera.* Magistraliter, quæ nam quæso erat pars altera, an non ipse maledicus Doctor? ille non audiebatur, qui cum ultro & citra ullam causam verba Sy-nopseos meæ Socinianismi notasset, & quidem monitus & refutatus, eadem tamen reponebat, & quidem uncialibus literis? Ultra quæ irrefragabilia testimonia ab ipso suppeditata, quibus convincebatur mea oppugnasse, quomodo ulterius audiri potuerit nestor. Hoccine ergo est non audita parte altera? Sed ut ita acutissime *λογικη* Antagonistam missum faciam, præcidam hæc omnia tanquam securis ictu, & peremtorio Achillæoque argumento cause

mea iustitiam luci exponam. Quæstio est, num Antagonista meus
jure meritoque indignatus fuerit, testimonium Magistro isti denega-
tum fuisse à me, propter impactam, ut loquitur, heterodoxiam affer-
tioni, quam ipse pariter cum Doctore illo tuebatur. Non dicam,
quod totiens factum, falsa esse omnia. Sed eo nunc omisso, videa-
mus quam iusta sit criminatio. Zacharias Caulius, qui Corollaria
bina, superius memorata, de amore qui in fide est, & de latitudinē
sensus verborum Scripturæ scriperat, & sub meo moderamine defen-
derat, a. d. 15. Martii proximi anni, cum sub initium hujus anni,
Academiæ valedicturus, pro more, testimonium Ecclesiasticum effla-
gitaret, nomenque ipsius huic fini publice coram concione sacra de-
nunciatum esset, adeunt Rev. Synedrii Præsidem tres hujus Academiæ,
(quos inter & noster) Professores, referente ita, licet nominibus sup-
pressis, ipso Synedrii Præside, qui testimonio ejus, propter ista Corol-
larioria defensa, apud ipsum intercedebant. Inde juveni, ceteroquin opti-
mo, gravis controversia facta de testimonio Ecclesiastico, & ultro ci-
troque reciprocata hac serra, plus certe quam simplici vice, ancesps illi
stabat hæc causa, donec tandem rara Rev. D. D. Pastorum, uno
demto, concordia, illa pro ipso decisa fuit. Pendente hac lite inter-
cellit pariter testimonio ejusdem juvenis Academicus, quod tamen ab
ipso aut Facultate Theologica non expetebatur, ὁ μακαριθεος Effenius,
scripro & misso ad me hoc epistoliolo.

Reverende & Clariss. D. Collega.

Innotuit mihi, D. Zach. Caulium petere, Testimonium Ecclesiasticum fu-
bidari à Synedrio nostro. Nec dubito, quin etiam petat Testimonium Acade-
micum, communi Facultatis Theologica nomine sibi dari (quanquam non cu-
tavit exhibendam etiam mihi scedula, ex more recepto, quam auditoribus
meis tempore solito prælegerem. Verum istud transeat:) Nolim tamen te in-
scium, ob Corollaria illa sic satis nota me non consentire, ut detur illi Testimo-
nium communi Facultatis Théol. nomine. Interim vale cum tuis, Ultraj. 19.
Febr. 1677.

A Collegi, ad terminos veritatis, tuo, tuorumque
observante,

A. E S S E N I O.

Videat lector, quam hæc illustria sunt specimina & auctoritas
etia. Non solum juveni insonti disputaturo obstiterant pridem hi ipsi
Collegæ, sed insuper testimonio ipsius Ecclesiastico remoram inji-
cere conantur, per Synedrium, cuius ipsi non erant membra, post-
quam

quam in Academia conatus non succelerat; idque solido fere jam elapso anno. Adeo plumbeas gerunt iras; cumque nec ipsi, nec quisquam alius unquam de sacræ synaxeos usu litem illi fecisset, quod tamen factum oportuisset, nigrum theta illi inurere in testimonio *απεστημόνιῳ* denegando conantur. Quod factum quantam clementiam spiret, judicet quivis. Cl. Collega Eſſenius dilerte quoque ipsi testimonium suo nomine negat, licet ab ipso id non petenti, imo ne quidem petituro: ut tamen si peteret, fruſtra eſſet, p̄eoccupat, repulſamque dat, non rogandus, miraturque juvenem non exhibuisse ſibi ſcedulam, quam Auditoribus ſuis tempore ſolito p̄ailegeret, cum tamen Cl. Collega ſole publico abſtinens, nulla & iſthoc ſequenti tempore haberet exercitia, niſi domēſtīca, & juvenis ille præterea testimonium Facultatis non ambiret. Sed adeo ſollicite omnis ſpe riua illi p̄ecludebatur, ſi forte peteret testimonium, ſicuti petiturus ju dicabatur. Magnis meis ingratiaſ hæc dico, beatique viri, Collegæ mei honorandi, manes & manum invitus hic ſollicito. De quo optandum fuifet, illum p̄eclaris ſuis virtutibus & pietati hoc unum ad junxiſſe, ut paulo majori alacritate & animi excitatione res tractaſſet, & ex nimia conſcientiæ ſcrupuloſa ſollicitudine minoribus diſſcultatibus non nimium subinde ſe alligafſet, ſed aliquanto cor datius noviſſet & ſibi res, & ſe ſubmittere rebus. Quæ certe de viro, dum vixit, p̄eſtantissimo, & nūnc cælitibus & *πνεύματι δικαιωτελειωμένον* adſcripto, quantulaconque ſint, tacere maluifem. Sed quantopere huc compellar, & forte ulterius compellendus ſim, quivis videt. Nunquā ego ita illum à me opinionibus diſſentientem ſtudioſum excepi, ut, ſi reliqua recte ſe haberent, testimonium illi denegarem, utpote qui judicavi ſemper, non ex privatis opinionibus, ſed receptis conſensus formulis ſcribenda eſſe ſtudiorum, quibus æqua ſentiendi ac diſſentiendi libertas, æq[ue] ac nobis ipſis, relinquenda eſt. Dicit meus D. Opponens, *me teſte hæc dici;* *an omnes ſic experti fuerint, diſquiri poſſet.* Diſquirat ergo, & qui aliter expertus ſit producat. Dicam ego amplius. Deprehendi & vidi Collegas meos, τὸς μακαρίτες, ab aliquo retro tempore ante obi rum ſtudentia communis facultatis nomine deciſſe quibusdam, quorum tamen ego ne minimam habueram notitiam neque indicium. Et hoc tamen tuli, licet facillimo negotio me opponere potuifsem, uti notum eſt; cum non bini tunc temporis, ſed terni facultatem noſtram conſtitueremus. Conſiciamus nūc ergo utriusque no-

strum facti parallelam. Testimonium Ecclesiasticum expedit Can-
 lius: ne eo exorneretur, intervenit, una cum D.D. Collegis quibusdam,
 noster D. Opponens, apud præsidem collegii, cuius ipse membrum
 non erat; post notatum juvenem in Senatu Academicō, quod, ut
 mollissime loquar, abunde erat; post elapsum retro annum fere in-
 tegrum. Eadem testimonium Academicum denegat Cl. Collega Es-
 senius, eodem tempore, non rogatus, neque rogandus; neque id ore
 duntaxat denegat, sed, quod validius, scripto. Causa denegandi
 utriusque eadem, propter *Corollaria illa sic satis nota.* Quæ hoc ipso aper-
 te ut heterodoxa notabantur; nulla enim cæteroquin illorum ratio-
 ne denegandi testimonii publici causa erat, cum juvenis omnium
 consensu, singularis pietatis & motibus castigatissimis esset. Corol-
 laria autem illa quid heterodoxi contineant, necdum ostensum est,
 aut à quo collegio Ecclesiastico damnata sint. Ex adverso notum
 est, Viros maximos, recentiores veteresque, non inficianda seculis suis
 nomina, in fide amorem agnoscere, & suo sensu illam amorem
 quandam esse asserere; notum, id consentire, saltem non pugnare
 cum formulis orthodoxiae nostræ, ne de Scriptura nunc dicam. De
 latitudine sensus Scripturæ ita mentem suam explanaverat respon-
 dens ille, & in disputationis actu voce, & deinceps voce & scripto,
 ut qui vel maxime contra steterant, tandem acquieverint. Huic ta-
 men juveni, ut heterodoxo, testimonium denegandum censuit, cum
 aliis, Cl. meus antagonistæ. Videamus & alteram faciem. Testimo-
 nium Academicum petit Regius, mihi de profectu Theologico non
 cognitus. potuisse vel hoc solo nomine, uti audio aliis in Acade-
 mias fieri, assensum denegare. Non denego, sed judico consultius, ut
 Cl. Collega, præceptor ejus, communis nomine id scribat. In quo dum
 ille restitat, occurruunt virulenta corollaria, in quorum saltem uno
 ego tanquam Novator traducor, & opinio quam me tenere nove-
 rat, ut directe S. S. literis contradictoria proscriptitur. Illius tamen
 auctor, quæ tenera ipsi erat frons, testimonium à me efflagitare susti-
 net, eo ipso momento, quo illius ipsius disputationis exemplar mihi
 tradit. Respondenti meo, quem credo ignorarum mentis Cl. Col-
 legarum corollaria sua proposuisse, testimonium denegaverant Col-
 legæ Theologus & Philosophus. Quid hic mihi faciendum fuisse vi-
 detur lectori meo? Compello cujusque conscientiam, an judicet
 illum in Belgica nostra Doctorem ac Professorem, hujusmodi juve-
 ni, qui illum, à quo orthodoxias testimonium petit, & simul dum
 petit;

petit, tam aperte heterodoxias condemnat, testimonio suo conde-
 coraturum fuisse? quin potius an non omnes judicaturi sint, è re A-
 cademiarum esse, ut tam immodesti ac impudentes studiosi, tan-
 quam omni elo^gio indigni, notentur; præcipue cum tam incle-
 menter cum meo discipulo actum esset? Quæ cum ita se habuerint,
 rapere hic possum, nullam mihi fuisse necessitatem mentiendi, si vel
 heterodoxum dixisse Corollarium istud, & eo nomine testimonii
 impetrandi spem non fecisse tam iniquo flagitatori, cum tot ratio-
 nibus & exemplis me queri potuisse. Nulla ergo mihi id negandi
 causa, nisi quia non factum, non factum vero, quia jure meo cum
 isto rigore, quo alii egerant, quod nunquam probavi, imo minori
 etiam, uti nolui, sed potius mitigoribus & clementioribus consilis lo-
 cum dare lubuit: in quo proposito persisti, donec absurdis suis &
 periculis ac mihi inauditis assertionibus me graviter offenderet Do-
 CTOR ille & ad alia confilia impelleret. Nunc vero Antagonistæ mei
 conscientiam compello, fasne illi fuerit ex hoc meo cum illo Magi-
 stro congressu ita Tyria maria commovere & ulro ac priori loco
 Mantissa illa sua Academicæ hoc nomine in me savire? Testimonium
 denegavi Academicum Regio, Denegaverat ille cum pluribus Collegis
 Caulio Ecclesiasticum, & ē mancipis Essensis Academicum. Dene-
 gayeram (dem hoc) ob corollarium heterodoxum. Ille eadem de cau-
 ta denegaverat. Ego ob assertionem quæ me directe petebat. Nihil ta-
 le fecerat Caulius. Ego Novatores nomine traductus. Nihil istius ge-
 neris apud Caulium. Ego rogatus. Ille ulro ad Vener. Synedrii Præ-
 sidem accurrens. Ego in mea facultate & in meo munere. Ille sara-
 gens facultatis, non sive, sed superioris. Ille criminatioⁿis heterodo-
 xias (si intentata fuisset) ex consensu tantum particeps, quia eadem
 cum Regio publice afferuerat, ut ait; quod mihi latebat. Ego di-
 recte hanc criminatioⁿem passus. Ille, quia rumor iste publicus, &
 longissime audita fama erat; quod non à me, sed ab illis factum fue-
 rat. Ego longe magis famæ auris deferendum per gentes committere
 potuissem judicium collegæ de corollaris respondentis mei, cum
 non controversus hic esset sermo, sed scripta litera expressus; quam
 etiamnum quibusvis exhibere possum. Ille in Cathedram Philoso-
 phicam traxit judicium Theologicum, falsissime ad ipsum delatum,
 priout auditione illud acceperat. Ego in cathedram Theologicam tra-
 here potuissem Collegæ mancipis judicium Theologicum, mihi sua
 manu missum. Judicent autem æqui censores, anne ego pru-
 denter

denter & pacifice egisse, si ex isto Collegæ mei judicio ita mox efferuissem, ut mantissis Academicis contra illud digladiatus suissem, & Corollarii Respondentis mei meaque simul opinionis orthodoxiam asservissem, atque ita pacem Academicam turbassem; an vero non rectius egerim, quod inter nos istud perire siverim, & Collegæ afflicti infirmitati id condonaverim. Quia prudentia ergo & æquitate ipse aliter egerit, Deo hominibusque proberet. Videat igitur, an ab una parte, per allegata probaverit quod non sine sufficienti fundamento & gravi causa cogitaverit, de vindicanda assertione controversa à criminis heterodoxia: & ab altera, quod ego horum motuum prima ac unica causa extiterim; cum nimis operose forte hactenus probaverim, & omne bellum, & belli causam, ab ipsis profecta esse, quum prior acerbis telis, à juvenibus, sub ipsius & ~~parvus~~ collegæ umbone in me emissis, petitus sim, & cum illa modeste amenata reddidisse, pugnaque hæc deputignata esset, novo & aliunde petito bello, ex προφάσιο nimis denegati testimonii Theologici & impactæ heterodoxias, respondentis, non suo, sed Cl. Effenii, ultro & prior ab ipso opugnatus sim, oppugnerque hactenus. Quæ denegatio testimonii juveni bene merenti facta, quæsito inani Heterodoxie prætextu, si unica malorum causa sit, ut sub finem annexi loquitur, perpendat ipse coram Deo, quis malis omnibus causam dederit, egone, an ille, qui dum antequam Regius testimonium peteret, denegavit, quantum in ipso fuit, testimonium Ecclesiasticum bene merenti juveni Caulio, quæsito inani Heterodoxie binorum corollariorum verissimorum prætextu, quasi inde sacra synaxi indignus esset factus, quod oppido gravius est, quam testimonium Academicum alicui denegare: quod tamen ultimum eidem Caulio denegatum quoque, licet illud non petenti, fuit à Cl. Effenio, ut supra offensum. Ex tuo ergo ore judicaberis, qui omnium primus, quatenus id tuarum erat virium, juveni bene merenti testimonium denegasti, adeoque malorum omnium, te ipso judice, causa es; nisi hoc tibi liceat, quod mihi, majori, nescio an acrimonia, an falsitate, exprobras. De quo Deus aliquando judicabit.

C A P U T II.
B R E V I A R I U M.

Transitus ad rem ipsam. Male Antagonistam auctori Opponentis nomen tribuere, quod ipsi jure meritoque competit, 17. An ex ordine Corollaria Philosophica dictis Scriptura S. farciantur? 18. An infantes in utero materno actu peccent? Αναστενή locorum D. Opponentis contra hanc assertionem productorum. An contra illam recte producatur 1. locus Gen. 25: 22, 23? 19. locus Rom. 9: 11? qui vindicatur, adducta ratione 1, 2, 20. cum sublatione contraria instantiae, unius, 21. & alterius, ubi simul discutitur questio, an labes originaria in omnibus equalis sit? 22. adducitur ratio 3, 4, 5, 6. 23. 111. locus Rom. 5: 12. & male D. Opponentis ex eo deducta consequentia, 24. non repugnare peccatum imputatum & inherens, imo suo modo actuale, in infantibus, 25. de bona auctoris fide in allegandis D. Opponentis verbis, 26. κατασκευή hujus assertionis, infantes actus peccaminosos edere, ex variis Scripturalis locis & rationibus, 27. cum remotione daturum difficultatum, 28, 29. de Theologorum Reformatorum circa hanc rem auctoritatibus & testimoniiis, 30.

§. XVII.

Verum seposita omni de facto & motuum causa disceptatione, nunc tandem quid de jure sit, videamus: ut apparet, an non si vel rei non recto modo gestæ reus non esset Antagonista meus, ipsa tamē re triumphet. Hic primo in ipso limine impingit meus adversarius, inat spicatoque vices mutat. Cum enim manifestissimum sit, primum Synoplos meā verbis male tornata sua corollaria opposuisse adolescentes, inde alio sub pretextu procudisse mantissam suam, eamque mihi opposuisse ipsum D. Præsidem, quo cum mihi nulla lis fuerat: quibus omnibus ego proinde respondere necesse habui, ut jure meritoque respondentis personam sustinuerim; ille nihilominus mihi passim Opponentis nomen tribuit. Optem ego scire, vel uno verbo, ubinam Opponentis vicibus functus sim. Sed vel hac specie turbata pacis culpam, cum re ipsa non posset, verbis saltē in me transmotam voluit. Quod oppido ridiculum est. Suave autem est somnium, & nisi fallor ex eburnea porta, quod velit meos commentarios prolixitate sua evincere, non suis viribus caruisse duas ipsius pagellas. An non idem de secundo

ipsius scripto , sive annexo, adeo prolixo, hac ratione mihi inferre licet? Multa mihi narranda fuerunt , quædam etiam afferenda & confirmanda, alia explicanda, alia repellenda. ut raptim adeo defungi hac sparta non licuerit : quod an pagellarum ipsius vires, an imbecillitatem arguat, res ipsa docebit.

XVIII. Cum ostendissem, non ex ordine nos videre sufficiat Corollaria Philosophica Scripturæ sacra dictis , falsoemque Philosophicam in messem Theologicam missam , quod vere est *pertraſſaivēis dñs jēsū* , ille duo duntaxat adducta comparere ait , atque ita ut judicium omne de iis relinquitur Theologis . Atqui in Corollario Oosterlandiano , quinque linearum , ita adducuntur duo Scripturæ dicta , ubi nullum adduci oportuisset, ut diserte dicatur , per ea confirmari assertionem ibi positam, nullo Theologorum judicio expectato. II. Acerbum autem prodit, ut ubivis, animum, dicens, ita solere judicare , qui publice profissentur, Philosophiam suam Ethnicam esse , & omnis religionis expertem. Quo si me petat , oportuisset prius ostendisse, ubi ego talia publice professus sim: quod cum nuspiciam fecerim , certe non citra gravem calumniam hæc mihi impingit : si altos, quid ista ad me aut ad hunc locum? Philosophiam omnem nisi censeo lumine naturali, non revelatione ; proinde Philosopho , qua tali , abstinentem Scripturæ dictis ; non tamen ideo Philosophia Ethnica est & religionis expers , cum ipsa ad religionem per se ducat , & æque locum habere queat in Christiano, ac Ethnico , ut notum est. Quod decreti Ill. ac Præpot. Holland. ac West-Fris. Ordinum mentionem feceram, non eo animo factum, quasi illo aut illum aut me constringere voluerim , quod ineptum fuisset , sed ut rei æquitatem ex illo decreto docerem : quod autem non ita pridem negaverim , ejus in Academia *hic nostra mentionem injici debere* , plane non commemini , cum non sciam, unquam de eo decreto agendi aut loquendi occasionem nobis esse præbitam : hoc tantum memini, me negasse , apud nos ullum constringi debere viginti illis Capitibus sive articulis in vicina Academia pridem vulgatis , nobis autem non præscriptis ; quemadmodum inde prætextum arripiebant quidam rigidius paulo agendi cum viro Reverendo, Petro van Balen, quum a. d. xvi. Febr. anni proximi testimonium eruditionis Medicæ à Senatu nostro peteret , propter thesin quandam his verbis propositam : *Vita nostra in solo corpore morta consistit , eamque cum belluis communem habemus ; non dependet à mente , quum hac non data , in automato , omni sua opera potuisset defungi.* Ex qua

qua thesi cum invidiam illi viro, vi viginti illorum Capitum, conflarent, ille uno verbo illam diffлавit, professus, vitam hominis istic à se spectari & considerari quatenus Medicinę objectum est. quibus auditis ad summos in Medicina honores admissus est. Extra hunc casum plane non memini de libertate Philosophandi unquam apud nos actum esse: cumque in illo ipso non ageretur de illo Ill. Ordinum Hollandiæ decreto, cuius ego in Epimetro mentionem feci, sed quidam prater rem urgerent Ampliss. D. D. Curatorum recentius decretum, nescio qua specie mihi improperari possit: *Ita ambidextri sunt quidam, prout res & tempus postulare videtur.* Sed quidvis dici posse, & ambis inistros esse quosdam, prout res & tempus postulare videtur, majori jure videor dicere posse. Quod ego *Philosophica Theologicis infarciam, tractemque, & publice* quidem id faciam *hoc ipso in loco non sensu*, factum occasione sermonis cum Magistro habiti, quem hic prosequi me oportuit. Quid in Germania & alibi factum, parum me concernit, qui scio ex ordine id nusquam fieri debere. Et si vel *domestica exempla rei aliter gesta adsint*, quæ dudum meam notitiam effugerunt, illa, si ejusdem naturæ sint, in nullo à me probata sunt unquam, aut probantur, qui omnes disciplinas suis limitibus contineri debere existimo.

XIX. Sed leviora hæc. Tandem ad ipsam rem ventum est. Dixerant Antagonistæ, *dogma Novatorum*, quo statuitur, *infantes in utero materno actualiter peccare, esse S. S. literis directe contradictorium*, adduxerantque hunc in finem locum Rom. 9: 11. Coll. cum Gen. 25: 22, 23. Nunc ergo ad locorum horum ἀνακεννών progrediamur. Ego à posteriori loco initium feceram, non alio animo, quam quia ex veteri instrumento producebatur, ideoque præmittendum censui. Hic mox artificium mihi tribuitur, & candor meus in discriminem adducitur, *inversi ordinis simul & vis argumentis*, cum ille textus jubeatur conferri *duntaxat*, quia nimisrum occurrit exceptionis frivola eorum, qui Apostolum Rom. 9: 11. volunt loqui de infantibus plane nondum existentibus; quæ non capere dicor. Fateor, me istam subtilitatem non capere, quomodo aut illud excipi possit, aut illa saltem exceptio ex loco Genes. 25: 22, 23. profigari necesse habeat, cum vel hoc ipso loco Rom. 9. comitate immediate præcedente Apostolus Rebeccam descripsisset ἐξ ἑρὸς νοΐου ἔχεσσιν. quod certe infantes jam extitis in utero abunde docet. Quod de dogmatis Iudaicis ad hunc locum aduxeram, si putet eo animo à me factum, quasi illa probassel, id certe

certe argueret, illum ne ad verba quidem mea attendisse. Sed hoc abunde illi ansam dedit mihi objiciendi calumniam, nihil mihi placere magis, quam nuperum quod est & recens; etiam si vel Talmudicis niteretur fabulis. Et ne pulchrum istud dictum prætervolaret, sed ut acris pungeret, stimulum addidit: *Novit D. Opponens Vocem, novit Virum.* Credo me vocem nosse & virum: credo plures illum nosse, & plures illum noscitos, ubi mea apologia, quam dudum paratam habeo, in dias luminis auras prodierit, ex qua videre erit, quo patet in Viri illius factis & dictis gemella plane huic humanitas, aequitas, justitia & veritas sibi occurrant & se se exosculentur; ut non mirum sit similes habere labra lactucas, & purpureum hunc pannulum à Nostro adsui; qui hac sua ἐπιχαιρεψαντας longe se alienum ostendit ab illa caritatis idea Apostolica, quæ & χαιρετὶ τῇ αἰδίνῃ, συγχαιρετὶ τῇ αἰληθεᾳ, 1. Cor. 13: 6.

XX. Sequitur ipse Apostoli locus Rom. 9: 11. Μήσω γὰρ γεννηθέντων (άντων, juxta quosdam codices) μηδὲ περιέσαντων τὸ αὐτόθι οὐ κανού, οὐαὶ οὐ κατ' εκλογὴν Σ Θεος πρόφεσις μένη, εἰκὸν ἐξ ἔργων, εἰδοῖ ἐν τῷ καλεῖντο. Locum hunc nihil ad rhombum facere dixeram, cum Apostolus non agat in eo de infantium illorum in utero materno cogitationibus, utpote que nullum haec tenus inter eos faciebant discrimen, sed de actibus illorum, quos patraverant deinceps adulti, qui magnam inter eos ponebant differatatem. Illos autem actus respexisse divinum oraculum negat Apostolus, quippe quod jam editum est, dudum ante quam hosce suos actus edidissent, utpote necdum natu infantes, & cum boni vel mali nihil fecissent. Quod, licet manifestissimum sit, tamen propter imperiti disputatoris importunitatem ulteriori confirmari opus habet. 1. Scopus Apostoli est, ostendere promissionem non presupponere voluntatem dandi regnum eis, qui ex operibus sunt; quales se Judæ astimabant, observatores legis. Huius ergo fini istud gemellorum exemplum introducit, in quibus illud operum discrimen non obtinebat. opera ergo legis, quæ qualia sunt, notum est, hic proprie excluduntur, non vero cogitata tantum interna, qualia factuum in utero materno esse poterant. 11. Agitur de iis, cum necdum nati essent, neque bonum & malum fecissent. Boni ergo & mali factio[n]em, ut ita loquar, qualem homines adultiores natu committere solent, excludit Apostolus, agens de infantibus necdum natis, quiique proinde bonum & malum facere necdum poterant, ut adulti solent, & ipsi, cum adoleverint, deinceps quoque fecerunt,

cerunt. 111. Huic facit vocabulum περὶ ἀντῶν. Non ergo de λογισμοῖς, aut νοήσεσι, sed de περὶ ἐστι illorum gemellorum agit, quas adulti ediderunt. quæ cum adeo diversæ fuerint, in Jacobo bonæ, in Esavo contra malæ, ne hinc profluxisse videatur discrimen divinae prædestinationis, sive ex illis operibus & actionibus ante prævisis, sive ipsa re patratis, docet Apostolus antequam pueri natū eſſent & actiones suas bonas vel malas edere potuerint, iam tum discrimen inter eos à Deo positum fuisse. Quid clarius ac verius? Certum est vocem περὶ στενιν vel περὶ ταν, περὶ τας, & quæ affinia sunt, ita sumi ubique, tum apud exoticos scriptores, tum sacros. Luc. 23: 16. καὶ ἔπειτα Ἰωάννης ἐστι πετεργυμένον ἀντῶ, nihil dignum morte perpetratum est ab eo. com. 41. ὁ Χριστὸς ἦρχε ἐπεργυμένον αἰπλαυθάνομεν, nam digna factis recipimus. Act. 5: 35. περὶ μέλιτες περὶ στενιν, quid facti sitis. & 19: 36. μηδὲν περὶ στενιν περὶ στενιν, nihil temere agere. & 26: 31. περὶ στενιν pro πίτερη perpetravit. 1. Thess. 4: 11. περὶ στενιν τὰ ἴδια, res proprias agere. Interdum & pro exigere accipitur, ut Luc. 3: 13. 19: 23. Sic & apud exoticos significat facere, agere, administrare, tractare, item vivere, statim agere, forte aliqua uia: item exigere, cogere; & similibus significatibus venit, quorum exempla apud Etymologos & lexicographos videri possunt; nusquam vero pro cogitare occurrit.

X XI. Suave autem est quod Cl. Opponens obducat duo loca, 1. Matth. 16: 27. Reddet unicuique κατὰ τὴν περὶ ἀντῶ. Sed hic quædam exemplaria legunt, κατὰ τὴν ἔργα ἀντῶ: verba saltem illa diferte sic reddit Apostolus Rom. 2: 6. Οὐς ἀποδώσεις εἰκάσω κατὰ τὰ ἔργα ἀντῶ. & ipse Christus Apoc. 2: 23. Καὶ δάσω ὑμῖν ἐκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν. conf. cap. 22: 12. & 2. Cor. 5: 10. Unde & Pasor locum citatum optime reddit, κατὰ τὴν περὶ ἀντῶ, secundum FACTA ipsius. Hæne sunt cogitationes in utero materno formatæ, an actiones & opera in corpore gesta? Sic Rom. 12: 4. τὸ δὲ μέλη πάντα τὸν ἀντὸν ἔχει περὶ ἀντῶ, membra vero omnia non eandem habent actionem. Sic περὶ εἰσιλων, acta Apostolorum, an vero, opinor, potius cogitata illorum significant? 11. Rom. 7: 19. Αἴσιος δὲ Θελῶ κακὸν, τέτο πράσσω. Videtur & hunc locum exertim in meam gratiam producere volunté D. Opponens. Patulus ibi opponit Θέλειν & πράσσειν, eodem modo ut com. 15. κατεργάζεσθαι & γινόσκειν, Θέλειν & πράσσειν, μισεῖν & ποιεῖν, & com. 16. Θέλειν & ποιεῖν. & com. 18. Θέλειν & κατεργάζεσθαι. Imo & illo ipso com. 19, Θέλειν

& ποιεῖν; ut πρόσταν, ποιεῖν & κακοπράξεων ab una parte, & γανώσκειν, θέλειν, & ex opposito μισεῖν, Apostolo parallela sint: sicuti & Phil. 2: 15. θέλειν & κακεργεῖν opponuntur. Unde & Pasor hunc locum ita reddit, *malum quod nolo, hoc AGO.* Hæcine ergo de cogitatis loquuntur, & quidem in utero materno? Sed hec etiam de motibus primo primis, quales essent quasi cogitationes infantium, intelligenda band dubie. Imo nullo modo. Ne enim nunc anquiramus, an infantium cogitationes motus primo primi (quos in iis esse cæteroquin damus) tantum sint: quis enim hoc ita sciscere jussit Nostrum, cum voluntatem non semper prævertant illorum motus & cogitationes? sed his missis, dico, si vel ad istiusmodi motus respexisset Apostolus, ipsum illos sub actibus voluntatis comprehensurum fuisse: nunc vero cum τὸ θέλειν & πράσσειν opponat, manifestum est πράσσειν non ad motus voluntatis, qualescumque sint, sed ad actiones & opera externa ab Apostolo referri. Quid exspectes ab hominibus, qui ita sordide ac indiligenter instituunt, ut ipsis sufficere videatur, aliquid dixisse, licet vel sibi maxime adversum?

XXII. Instat, per explicationem meam non parum infringi robur Argumenti Apostoli, ita enim discriminem aliquod inter infantes fuisse, si in utero habuerint cogitationes peccaminosas, quidni enim alia alius magis carnales esse potuerum? at vel levissimum hic discriminis fundamentum si admittatur, concidit argumentum Apostoli in totum, quod stante nostra, ait, sententia validissimum est. Addit. Actiones ergo omnes excluduntur, quippe que omnes patiuntur suos bonitatis & malitia gradus: cum labes originaria sua natura omnes peraque inficiat. Mira hæc est Philosophatio. Ait Philosophus, si levissimum discriminis fundamentum hic admittatur, concidere Apostoli argumentum in totum: stante vero sua sententia illud validissimum esse, nimirum admissa tantum labes originaria, cum illa sua natura omnes peraque inficiat. Atqui aslumo: vel admissa tantum labes originaria, admittitur fundamentum alicujus discriminis, non levissimum, nec leve, sed grave satis. Cum enim labes originaria in habitu ab Antagonista nostro locetur, unde ipsi notum, habitum illum in omnibus hominibus equaliter esse? an non inæqualis virtutis vitiique habitus sunt in adultis? quis ergo negare ausit, illos quoque inæquales in ipsis infantibus esse posse? An non natura unus homo magis propendet ad hoc illudve crimen, quam ad aliud? ad quædam tam fortiter, ut vix ipsi possibile sit, vel uno die ab istis virtutis & peccatis se se continere, prout quisque suos partitur manes, & familiaria cuique sunt virtutia. Contemplare E. G. a varum,

varum, invidum, irrisorem, libidinosum, iracundum, malignum,
 similibusve criminibus cooperatum. Et cum à corporis temperamen-
 to illiusque motibus animam iustitiam originali desitutam, plurimum
 pati dixerim & corrumpi, an non qui malignum corporis tempera-
 mentum nacti sunt & infaustis sub penetralibus nutriti, magis sane
 corrupti sunt, & clavis magis trahalibus peccato affixi, quam qui feli-
 cius sunt nacti temperamentum? Licet ergo omnes inficiat congenita
 vitiositas, illam tamen omnes peræque inficere falsissimum est. Sic-
 ut enim sanctificatio, quam habemus dono & gratia Christi, secun-
 di Adami, in hac vita inæqualis est; ita etiam nativam corruptio-
 nem, quæ contagio primi Adami in nos transfunditur, inæqualem
 esse, nihil omnino obstat. Cur enim regenerationi longe plura ob-
 stacula ponuntur in uno homine, quam in alio? annon ex ipso ho-
 minis temperamento & nativa indole illa fere profiscuntur? Assen-
 titur hisce Celeberrimus Henr. Altingius Problem. Theol. Parte 1.
 Probl. 27, ubi propagationem peccati originalis ex corpore quoque
 deducens, illud inter alia probat à temperamento corporis, quod homines
 sequuntur. Nam experimentum compertum est, ait, sanguineos esse hilares & libi-
 dinosos, cholericos temerarios & iracundos; melancholicos suspicaces, tenaces
 odii: phlegmaticos bardos, voluptuarios. Si nulla labes in corpore ex semine,
 tum non alii aliis vitiis dediti essent, pro temperie corporis. Atqui sunt. Ergo.
 Quibus verbis manifeste inæqualitatem vitorum & corruptionis ori-
 ginariæ à temperamento, hoc autem à corpore, derivat. Ita etiam
 præiverat Martyr in locis comm. Classe secunda, loco 1, §. 38. hoc
 modo: Non dicimus Physicæ actione, animam corrumpi à corpore. Sed quum
 corpus vitiatum sit, resiftit anima. Ea vero non confirmata illis doribus, quas
 habuit ab initio, ejus inclinationi obtemperat, nec ut par fuit, regit. Sed ab
 eo regitur. Deinde etiam physicæ rationes docent nos, esse sympathiam inter
 corpus & animam. Solet enim anima varie affici pro temperatura corporis:
 nam qui abundant flava aut atra bile, solent animo esse iracundo aut mæsto. Hæc
 ad hypothesis si transducamus, cum toto genio vitæque studiis ac
 moribus disseparati fuerint Jacobus & Esavus, hic venator, vir agre-
 sis, profanus, scortator, ille contra vir integer, habitans in tentoriis,
 Gen. 27: 27, Heb. 12: 16. unde nobis firmabit D. Opponens, non
 ab ipso utero materno discriminem aliquod, discriminisve fundamen-
 tum, & forte non leve, in hisce pueris fuisse? Objicit ille, istud fuisse
 in cogitationibus magis aut minus carnalibus: regeram ego, istud
 pariter fuisse in ipsa cogitandi potentia vel habitu congenito: cum
 enim

cum enim infantes hi jam ad diversas adeo inclinationes propenderent, utique discrimen fuisse & que necesse est inter ipsos ratione habitus, secundum Opponentem nostrum, ac ratione actuum cogitandi, secundum me. Neque ergo fundamentum Apostoli convellit ipse ac ego, si vera sint quæ dicit. Sed in eo errat. Licet enim vel diversitas aliqua in infantibus nondum natis fuerit, sive secundum actus cogitandi, ab hujus vel illius temperamento varie profluentes, ut secundum meam hypothesisin dici posset; sive secundum ipsum vitiositatis connatae habitum, qui varie utriusque animam ad hæc vel illa potius peccata disposuerit, ut secundum ipsius hypothesisin dici posset, quod nec ego nego; attamen non considerat illa hoc loco Apostolus, sed ab iis omnibus quæ in infantibus hisce fuerunt ante utriusque nativitatem, sermonem præscindit, intentus duntaxat iis quæ deinceps adulti egerunt; negans, vel hoc discrimen inter ipsos fecisse: unde patet, multo minus discrimen inter eos fecisse illa, quæ ante nativitatem in illis esse potuerunt, qualicunque essent, sive habitualia, sive suo modo actualia. Illa enim quæ in infantibus in utero conclusis fuerunt, 1. maxima ex parte communia fuerunt, cogitationes nimirum, quæ à corpore plerumque animæ illo in statu offeruntur, quibusque anima immersitur ac mancipatur, quæ fere ejusdem sunt modi ac naturæ, non vero tam diversæ, quemadmodum in hominibus jam natis, & præcipue adultis, per sensus & objecta sensibilia infinita cogitationum, & inde actionum bonarum vel malarum, series & differitas nascitur. 11. Si vel diversitas aliqua in iis fuerit, prout in ipso quoque vitiositatis habitu diversitas procul dubio aliqua est, ut vidimus, illa tam exillis est, saltem nostri ratione, ac tam obscura, ut particulatum assignari non possit; neque adeo ab ipso Apostolo distincte exhiberi potuerit adversus Iudeos: nisi velimus Deum illi distincte revelasse, quæ ratio fuerit animæ Jacobi & Esavi, quis distinctus cogitandi in utrisque modus, aut etiam quæ distincta propensionis & concupiscentiarum in utroque ratio, quæ gratis & temere præsupponuntur. 111. Imo discrimen non faciebant inter duos hosce infantes gradus hi peccati in illorum cogitationibus, sive actualibus, sive habitualibus; cum, qualescumque hi gradus essent, semper malæ fuerint illæ cogitationes, adeoque discrimen non fecerint in ordine ad prædestinationem, si vel huc respexisset Deus, cum pariter malos sic vidiisset: Apostolus vero non de ~~πάτερι~~ pariter malis agit, sed bonis, aut malis,

juxta

juxta quas discrimē gemellorum desumi potuisset, ut mox videbimus. Considerati ergo gemelli in ordine ad aeternam prædestinationem, maxime parés Deo objiciebantur, quemadmodū & omnes homines: considerati in ordine ad hoc oraculum, & intra tempus quo illud editum est, quum jam concepti essent, impares aliquo modo potuerunt esse, quod gradus vitiositatis congenitæ corruptionisque illius attinet; quod tamen Apostolus præterit, utpote incertum & obscurum; præcipue cum in eo iterum parés essent, quod simul peccaminosí essent, neque quicquam in iis esset boni: quod non majus respectu divini amoris aut odii in iis faciebat discrimen, quam discrimen facit ratione reprobationis adultorum, quod inæquales & impares sint plerumque malitia & peccati ipsorum gradus: considerati denique ratione actuum externorum, quos deinde adulti facti tanta cum disparitate exeruerunt, Jacobus in bonum, Esavus in malum, hoc tempore omnino parés erant, & nullum inter illos, ne levissimum quidem, discrimen erat: & hac ratione eos considerat Apostolus, tanquam boni aut mali nihil haec tenus operantes, πράξεις, ut ipsa Apostoli verba docent. **iv.** Apostolus ergo producit manifestum & omnibus notum inter gemellos hosce discrimen, ex πράξεσι & operibus eorum externis; eodem modo quo in judicio ultimo, licet etiam de cogitationibus reddituri simus rationem, nihilominus opera duntaxat externa in medium producentur, ut ex dictis jam vidimus, & Matth. 25: 32. seqq. electe exhibetur. Sicut ergo norma judicii visibilis desumitur ex actionibus visibilibus: ita Apostolus ex adverso docet, contra operarios Judæos, discrimen aeternæ prædestinationis hominum non desumi primitus ab illorum operibus externis, sed illud ipsorum opera prævertere, prout in hisce pueris manifestum est. Sic & D. Calvinus: *Quum nondum nati essent, aut aliquid boni aut mali egissent, indicat Deum in statuendo discriminē non potuisse intuiri OPERA, qua nondum erant.* Notum autem quid per opera Theologi intelligere soleant. Sic & Venerab. Beza. Sic & clare satis Belga nostri, ad verba, nocte sets goeds of te quaads gedaen hadden / Num. 37. Namel waer dooz sp van mal-handren honden woorden onderscheiden/ want andersing waren sp alrede in sonden ontfangen / ende in moeders lichaem lebende / als dese Goddelijcke antwoorde over haer geschiedde. Frigidum ergo est quod excipit, *jejunum esse, ubi sermo est de pueris nondum natis, urgere nil eos commisisse boni aut mali illius, quod fecerunt adulti.* Siccine? Jejunum

num quidem esset , si nihil amplius negaret Apostolus ; quam ipsos, nondum adhuc natos, nihil commisisse illius boni aut mali, quod fecerunt adulti; sed non jejunum est, eos , cum nondum nati essent , adeoque nihil commisissent boni aut mali illius quod fecerunt adulti , nihilominus à Deo iam tunc temporis discretos fuisse , juxta propositum Dei electivum , com. 11, 12, 13. quod ostendere Apostoli scopus est. Hoc vero aut non percepit , aut dissimulavit D. Opponens, adeoque hæc , & quæ præterea adducit , præter scopum sunt , nec iis infistere opus est.

X X I I . 111. Hoc Apostolum voluisse claret quoque , quia dicit, pueros *necdum boni aut mali quid fecisse*, cum dictum est , *major minori serviet*. quod arguit, intelligi duntaxat actiones natorum, aut adultorum etiam, illæ enim solæ *bonæ aut mala* fuerunt : quæ enim ante nativitatem in iis cogitationes fuerunt , ex malæ duntaxat fuerunt, non bonæ, adeoque discrimen inter eos facere non poterant , licet forte plus minusve malæ fuissent. 1v. Patet illud porro , quia eodem comitate explicat, quas illorum Ἐράξεις intelligat , dicens secundo colo, ἵνα οὐκατ ἐπλογὴν ἢ Ἰερὸς πρόθεσις μένη , ὅν εἰς ἔργων , αὐτὸν ἢ παλεύντες , ut propositum Dei, quod est secundum electionem , maneat, non ex OPERIBUS , sed ex vocante. Opera ergo excludit, sive jam patrata, sive ut patrandâ prævisa , h. e. omnia opera simpliciter, illis enim vocantem opponit , ex cuius beneplacito propositum electionis fluxisse afferit. Εράξεις ergo gemellorum, de quibus loquitur Apostolus, erant illorum ἐργα , quæ hic excludit, non vero illorum in utero materno cogitata, de quibus hoc loco non agitur. v. Idem confirmant commata sequentia 12. & 13. *Dictum est ei , major serviet minori. Sicut scriptum est, Jacobum dilexi , Esavum autem odeo habui.* Ex illorum vero in utero cogitatis, pariter malis, ut ostensum, profluere non potuisset, quod Deus alterum *dilexisset*, alterum *odio habuisset*, com. 13. sed ad summum major vel minor duntaxat odii gradus inde natus fuisse. Agit ergo Apostolus de istiusmodi actionibus , ex quibus odium vel amor Dei nasci potuisset , nisi jam ante illas patratas , oraculum de servitute à majore minori præstanda, & de diverso odio & amore Dei editum fuisse. Planum est ergo , intelligi hic actiones externas , post natos infantes editas , quæ tamen discrimen, quod ad amorem aut odium Dei, primitus inter ipsos non fecere , sed potius divinum decretum , jam ante illas editas divino oraculo manifestatum , ut ostendit Apostolus. Ita Piscator ad

verba

verba, neque quicquam fecissent boni vel mali, dicit, quo scil. vel amorem
Dai, vel odium, mererentur. vi. Denique quod com. 16. concludit
Apostolus, *Non est volentis, neque currentis, sed misericordis Dei, mani-*
feste respicere videtur voluntatem illam ac conatum Esavi impe-
trandi paternam benedictionem, quam adeo ambiit ac desideravit,
cujusque ergo ita discurrat, studavit, venatus est, Gen. 27: 6, 7. conf.
com. 36, 38, 40. sed frustra, cum ex Dei miseratione Jacobo, mi-
nus laborioso, benedictio illa cesserit, ut ibidem videre est. Ad hunc
Esavi operosum ambitum & cursum, ab una, & Dei in Jacobum be-
nevolentiam, ab altera parte, manifeste alludere videtur Apostolus:
dicitque ergo, ante quam pueri nati essent, bonique aut mali quid egissent,
tam diversis suis studiis & operibus, jam dudum ex divino proposi-
to discriminati erant, cum non sit volentis, neque currentis, sed misericordis Dei. Ex quibus omnibus planissimum est, non agere hic de cogitationibus peccaminosis in utero materno formatis Apostolum, sed de operibus natorum illorum subsequentibus duntaxat, quæ discrimen inter illos intulisse, quemadmodum operarii Judæi existimassent, negat: nec scio an discrimen illud, ab operibus externis petitum, clarius innui potuisse, si vel radiis solaribus scripsisset Apostolus.

X X I V. Succedit argumentum tertium, in manissa productum, ex Rom. 5: 12, quem locum me rebemenissime constringere ait, unde astute imprimis secum me agere fatur, &, si dicere licet, fide minime bona. Hæc solita ipsius modestia. Videamus primo de re, tum de fide mea. Magno ambitu & apparatu obtestatur me hic coram omnibus, ut instruam argumentum Apostoli sic ut (stante mea opinione) vim habeat efficaciter concludendi pro peccato originali in infantibus, ex eorundem morte in infantia. Accipio legem. Sequamur ergo ipsum, qui procul dubio argumentum Apostoli efficacissime instruit. Illud autem hoc modo facit. Ubi mors imperat, ibi peccatum; idque vel actuale, vel originale & imputatum. Atqui in infantibus mors imperat, ergo & ibi peccatum. Id vero in iis non est actuale, ergo originale & imputatum. Sed non est hæc Apostoli collectio, ille ita instituit. Ubi mors imperat, ibi peccatum; mors autem pervenit ad omnes, ergo & ad omnes pervenit peccatum, in quo, vel eo quod (utrumque enim sensum diversimode teneantur Doctores multi Reformati) omnes peccarunt, com. 12. Fuisse autem peccatum in mundo usque ad legem, ostendit com. 13. & inde imperasse mortem Adamo usque ad Mosen, docet com. 14.

etiam in eos, qui non peccaverant in similitudine transgressionis Adami, h. e. ut utrinque fatemur, in infantes. Mors ergo infantibus imperat. Ergo & ibi peccatum. Fateor. *Id vero in iis non est actuale*, ait. Non ita loquitur Apostolus, qui tantum dicit, *illos non peccavisse in similitudine transgressionis Adami*, h. e. non negat eos peccavisse peccato simpliciter actuali, sed actuali ad similitudinem Adami, id est, post acceptam legem, cum prævia notitia, deliberatione ac voluntate, & pleno rationis usu. *Hæc enim omnia erant in transgressione Adami.* Licet quis ergo actu peccet, modo id non faciat cum pleno rationis usu, ille non peccat ad similitudinem Adami. Hoc autem non est in infantibus, licet actu cogitent. ergo licet actu cogitent, & suo modo actualiter peccent, non tamen peccant ad similitudinem transgressionis Adami. Plus non ponit Apostolus, neque plus ex verbis ejus colligi potest. Quid vero noster? Assumit: *Atqui peccatum est vel actuale, vel originale & imputatum.* Dixisset secundum Apostolum, vel actuale ad similitudinem transgressionis Adami, vel non tale. Nihil enim amplius dicit Apostolus, qui hoc tantum dicit, *omnes in illo peccasse*, com. 12. & *tù nō ipsa meritum judicii, reatum, ex uno esse èis nasci possunt, ad condemnationem*, com. 16. & *ex unius lapsu mortem regnasse per unum*, com. 17. idque in *omnes homines ad condemnationem*, com. 18. qui reatus ex uno ad condemnationem in omnes diffusus, vulgo peccatum imputatum Theologis nuncupatur: quod tamen peccatum inhærens non tollit, sed ponit. Ita enim *nō ipsa reatus hic est ex uno èis nasci possunt ad condemnationem*, com. 16. quia nimur per unum illum, ex imputatione Dei, omnes peccatores sunt constituti, com. 19. & peccatum inhærens contraxerunt, ut inferius latius videbitur. Conficit ergo Apostolus, mortem regnasse in omnes, etiam in illos, qui non peccaverant in similitudine transgressionis Adami, sed qui tamen ex illo uno reatum habent ad condemnationem. Concludit vero noster. *In infantibus non est peccatum actuale, ergo originale & imputatum.* Concludere debuisset. Non peccarunt infantes ad similitudinem transgressionis Adami, ergo peccarunt alio modo (quia nempe moriuntur) nimur quatenus ex illo uno homine reatum habent ad condemnationem. Hic reatus dicit noster, *non est peccatum actuale, ergo originale & imputatum.* Hic vero ita institutus D. Opponens, ut collectione sua non solum evertat peccatum originale & imputatum (quæ duo ipsi idem sunt) sed & ipsum peccatum congenitum inhærens. Si enim peccatum hoc actua-

actuale esse non possit in infantibus , ut in iis locum habeat imputatum , dicam ego pariter , ergo nec in iis erit peccatum inhærens (ut Theologi loquuntur) ut in iis locum habeat imputatum. Imputatum enim , prout id accipit D. Opponens , repugnat inhærenti. illud enim externum est & alienum , hoc vero internum & proprium. Sed vult noster nullum esse in infantibus peccatum nisi imputatum . ergo nec est in iis inhærens. Sic enim ait , *promptum semper fore excipere , infantes mori , non ob peccatum aliquod originale , alienum & imputatum , verum propter demeritum peccati istius proprii , actualis & inherentis , quod ipsi commiserunt.* Mittamus nunc actuale , de quo controvertitur. Manebunt reliqua membra oppositionis: si moriantur ob peccatum aliquod originale alienum & imputatum , non moriuntur propter demeritum peccati proprii & inhærentis , sive illud ipsi commiserint , sive illud saltem in iis sit ; hoc enim hoc respectu perinde est , cum alieno & imputato opponatur , non solum quod actu committis , sed quod tibi inhæret , & quod tuum proprium est peccatum. Manifestum ergo est , quod hac ratiocinatione ipse evertat peccatum infantium originale inhærens , ut imputatum afferat. Quod contra omnium Theologorum mentem & simul veritatem est. Non pugnat nimirum peccatum imputatum , & simul proprium ac inhærens : addo etiam , & simul actuale , modo in infantibus non sit tale , quod sit in similitudine transgressionis Adami. Hoc unum negat Apostolus , cætera simul admittit , imo ponit. Infantes enim , qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami , in ipso tamen peccarunt , com. 12. & *unus lapsus mortui sunt* , com. 15. & *ex uno judicium habent in condemnationem* , com. 16. quod judicium in eo est , quod Deus eos , utpote Adami peccatoris filios , non dignatur sua justitia & imagine , sed propter impurum parentem impuros nasci sinat ad condemnationem : unde in iis est congenita viciositas , h. e. peccatum inhærens ; & simul , quia animæ natura operosa & actuosa est , illa nativa labes actibus sese exerit viciosis , adeoque & suo modo actuale in illis est peccatum : quod tamen , cum contrixerint ex Adamo & propter ipsum , hactenus simul ex imputatione est. qua voce non utitur Apostolus , sed appellat *xpius ex eis , his xartingia judicium* , sive reatum , *ex uno in condemnationem* . quod judicium in eo est , quod unius ob noxam tota illius posteritas destituta imagine Dei & inde condemnabilis nascatur. Quam imputationem in Synopsi l. 2. c. 9. §. 4. ita exposui : *Quæ imputatio non tam in eo consistere videtur , quod ipsum Adami peccatum*

catum, ipseque ille actus, vel vetiti fructus degustatio, nobis irrogetur, cum nemo alterius voluntate nocens fieri possit: sed potius in eo, quod propter conjunctionem quam cum Adamo habemus, cum natura, tum precipue saebris Dei respectu, postquam ille peccarisset, jam rupta Dei cum universo humano fædere, nos quoque, ejus liberi, cuiuscunque illius fortuna heredes, extra Dei amicitiam nascamur; nec Dei amplius, sed Admīt imaginē geramus; unde non nisi corrupti s̄ mi esse possumus.

XXV. Hæc ita ex filo Apostoli paulo prolixius repeteret debui, ut ostendam, efficaciter concludere Apostolum (stante mea opinione) pro peccato originali in infantibus, ex eorundem morte in infantia, & non pugnare cum illo peccato, ut loquuntur, imputato, peccatum simul inhærens, imo & suo modo actuale; hæc enim non opponit Apostolus, sed tantum opponit peccatum ex alio tractum, sive judicium ex uno in condemnationem, & peccatum factum ad similitudinem transgressionis Adami: hoc posterius non datur in infantibus, sed και μερις duxaxat οξειδεις: illud autem judicium ex uno, quo condemnantur, admittit illorum peccatum inhærens, imo ponit: cum enim inde nascantur destituti justitia originali, quam Deus non tenetur dare peccatoris filio, inde inhærenter mali quoque sunt, & quia anima actuosa est, suo modo actuose quoque mali, licet neandum ad similitudinem transgressionis Adami, h. e. cum pleno rationis usu. Ut hæc amicissime conspicient, imo unum aliud inferat. At vero prout D. Antagonista instituit, conciliari hæc nequeunt: Ille enim, ut probet peccatum actuale nullo modo in infantibus esse, opponit, ipsos mori propter peccatum originale, alienum & imputatum, & mori propter peccatum proprium, actuale & inhærens, quod ipsi commiserunt. Secundum Apostolum non pugnat mori infantes propter peccatum quod ipsis congenitum est, adeoque originale, quodque simul suo sensu actuale est & inhærens, h. e. quod in actibus consistit, quodque proinde ipsis suo modo hactenus commiserunt; ita tamen ut fluat in ipsis ex imputatione peccati alieni, Adami nimur, propter quem judicium illud sustinent, quod, cum non peccarint unquam ad similitudinem transgressionis Adami, h. e. cum pleno rationis usu, & ut loquimur in scholis, actualiter; tamen peccent antequam nati sint, h. e. vitiosi sint, & illam vitiositatem actibus statu illi convenientibus exerant. Hæc ergo non pugnant. At pugnat, juxta D. Opponentem, infantes, mori propter peccatum alienum ac imputatum, & propter peccatum proprium actuale & inhærens, quodque ipsi commiserunt. cuius

cuius oppositionis vis in eo est, quod pugnet, *juxta ipsum*; peccare
 peccato alieno ac proprio simul: unde infantes, cum morantur ob
 peccatum alienum & imputatum, non moriuntur ob peccatum
 proprium, inhærens & quod ipsi commiserunt. Hinc vero sequitur,
 non dari in ipsis peccatum proprium & inhærens, æque ac actuale
 & ab ipsis commissum. Tam parum enim consistere possunt pecca-
 tum proprium & inhærens, cum alieno & imputato, ex hac hypo-
 thesi, ac cum eo consistere potest actuale & ab ipsis commissum:
 sive enim sit actuale, sive habituale, modo proprium & inhærens
 sit, pugnabit cum alieno & imputato, quod ipsi est originale pecca-
 tum. Et ex mente Antagonistæ nostri sic semper procedet argu-
 mentum. Qui moritur ob peccatum imputatum & alienum, non
 moritur ob proprium & inhærens. Atqui infantes moriuntur ob
 peccatum imputatum & alienum, ergo non ob proprium & inhæ-
 rens. Et sic non dabitur in infantibus peccatum originale inhærens,
 sed imputatum duntaxat. quod falsissimum; & tamen ex illius hy-
 pothesi id necessario sequitur. Fons autem erroris est, quod putave-
 rit Apostolum opponere, peccatum imputatum, sive judicium ex
 uno ad condemnationem, peccato proprio & inhærenti, sive habi-
 tuali, sive actuali. quod Apostolus non facit; imo contra illud *κείμενον*,
judicium, sive reatus, in eo est, quod propter unius peccatum mul-
 ti, sive omnes, inhærenter peccatores constituti sint: sed Apostolus
 opponit duntaxat peccatum imputatum, sive judicium ex uno ad
 condemnationem; peccato tali quod patratum est ad similitudinem
 transgressionis Adami, h. e. peccato patrato cum pleno rationis usu:
 quod in infantibus non datur, licet in iis derur, ex illa imputatione
 sive judicio promanans, peccatum proprium inhærens, imo suo mo-
 do actuale. Falsa ergo est, quam unicam hic fingit D. Opponens
 exceptionem, infantes mori, non ob aliquod peccatum originale,
 alienum & imputatum, verum propter demeritum peccati istius proprii, actuale
 & inhærentis, quod ipsi commiserunt. Hæc enim duo non pugnant, cum
 ex peccato imputato habeant tale peccatum inhærens & actuale, &
 cum eo nascantur: quod secus factum non fuisset. Non magis er-
 go pugnant peccatum suo modo actuale & imputatum, quam pec-
 catum inhærens & imputatum; quæ tamen in infantibus simul lo-
 cum habent; adeoque & suo modo actuale cum imputato consi-
 dit, cum sine actuali inhærens peccatum non sit. Nec hæc pugnant
 apud Apostolum, qui non opponit peccatum imputatum & actuale,
sed

Si peccatum imputatum, sive ex uno contractum, & tale quod patratum est ad similitudinem transgressionis Adami; quod plus est quam simpliciter actuale, sed certum actualis genus, quod cum ple-
no rationis usu patratur. Hoc posterius de negat Apostolus infantibus,
non vero prius, cum sine discrimine illos eodem modo peccatores
constitutos fuisse dicat, ac alios homines, verbis nimirum actuale
peccatum pariter significantibus utens.

XXVI. Hec de re. Ex quibus patet an vehementissime me constringat hic locus, quem, & que ac priorem, me quidem percepit D. Opponens. Nunc de fide mea. In qua hoc tantum desiderari video quod omiserim, ubi de infantium peccato proprio & inherente sermo fuit, verba, Quod ipsi commiserunt, atqui ego diserte illa verba expelli, ubi argumentum D. Opponentis proposuit: deinceps vero ubi illud repetii, omisi illa ultima verba, prae studio brevitatis, quia adduxeram illa verba, propter demeritum peccati proprii actualis & inher-
rentis: putabam enim in voce actualis contineri vim verborum, quod ipsi commiserunt; quomodo enim peccatum proprium & actuale est, quod ipse non committas? Nota ergo acerbam, omni modestia & caritate vacuam censuram, me hæc verba *pessima fide suppressisse*, me *astute imprimere*, & fide, si dicere liceat, *minime bona egisse*: cum hæc verba non suppresserim, sed adscripserim, & deinceps in repetitione ea omiserim in simplicitate cordis, ex studio brevitatis, quia putabam, prout res est, in voce actualis peccati illa contineri. Quod addit, me *audacter afferere*, *Theologos omnes fateri mortis in infantibus causam esse proprium peccatum ipsorum & inherens*, quod ipsi commiserunt, una cum imputato: id si generaliter adeo asseruisssem, falsus essem: sed injurius hac in re mihi est, cum ista verba proferens, diserte hoc tantum dixerim, ex hypothesi D. Opponentis, *negandum esse*, *infantes mori propter labem originariam, qua certe proprium ipsorum peccatum & inherens est*, & una cum imputato peccato mortis ipsorum causa est, fatentibus *hac omnibus Theologis*. Ubi diserte omisi vocabulum *actuale*, & tantum dixi, *Theologos omnes*, qui nimirum peccatum imputatum agnoscunt(de iis enim duntaxat hic agimus) fateri una cum imputato peccato, inhærens infantium peccatum mortis ipsorum causam esse; quod verum est, at Noster ex sua hypothesi id facere non quit, ut ostensum. Præterea verba ipsius nescio quid absurdij tinnunt, ubi dicte non semel, peccatum esse vel *actuale*, vel *originale & imputatum*; quasi idem esset *originale & imputatum*, cum inter orthodoxos *αναμφισθητον* sit

sic , peccati originalis duo esse membra , imputatum peccatum & la-
bem congenitam , sive vitiositatem inharentem : quam ultimam ipse
male omittit , sicut ego utrumque membrum juxta Theologos ex-
primeris , actuale peccatum eo loco exeritum omisi , ne viderer assere-
re , *Theologos omnes fateri , mortis in infantibus causam esse peccatum ipsorum*
inharentis , quod ipsi commiserunt , sive actuale , ut ego id exprefseram.
Ubinam ergo fides mea in minimo apice desiderari potest ? Si atten-
tus verba mea considerasset D. Opponens , tam temere non pronun-
tiaslet . Sed quid si mihi par pari referre lubeat ? Dixeram , Negare
Apostolum duntaxat , infantes peccasse ad similitudinem τῆς παρεγγέ-
βασιού transgressionis Adami , com. 14. h. e. peccato , quod κατ' ἐξ-
χρήν actuale dicitur , contra expressum Dei praeceptum , plena cognitione , &
voluntatis studio commisso : hoc autem non tollere motus illos anima ipsorum
in utero materno , sanctitate carentes , adeoque peccaminosos . Quid hic
noster ? Ille hæc tantum regerit : *Quæ ex voce παρεγγέβασιος arguit Oppo-*
nens , nullius hic momenti sunt : Quicumque à lege recedit quomodo cum-
que , eandem transgreditur , & contra . Ut idem haecenus sonent παρεγγέ-
βασιος & αὐτομία . Sed hoc non agebatur , an idem sit παρεγγέβασιος &
αὐτομία : verum hoc controversum erat , an Apostolus neget , infantes
peccasse actualiter , ut ipse vult , an vero tantum neget , ipsos
peccasse ad similitudinem τῆς παρεγγέβασιος Adami , uti mihi videtur.
Quod longe aliud est . Apostolus enim nusquam negat prius simpli-
citer , sed posterius duntaxat . Et in hoc totus controversia de hoc
loco cardo versatur . Noster , quasi de similitudine τῆς παρεγγέβασιος
Adami nullus sermo fuisset , in quo emphasis est dicti Apostolici ,
quodque ego unice urseram , totum illud præterit , tantum ostendens ,
quid vox παρεγγέβασιος notet . Quæ aut supinissima neglig-
gentia & ἀθλεψία est , aut , si studio factum , ut cum ipso loquar ,
alstutia & fides minime bona .

XXVII. Tanta cum industria & peritia quum ipse res Theolo-
gicas tractet , non sine causa est quod testetur , volupe sibi futurum pro-
sequi hac pluribus , ut & excutere digressionem meam de peccato originali
inharente : quod non factum esse dolendum oppido . Supplet tamen
hunc defectum salutari monela , & quasi maximam fundo Theolo-
gico calamitatem pararem , imo quasi Hannibal ad portas esset , clas-
sicum canit , jubens aures arrigere Theologos , judicare que de hac mea af-
fertione , peccati originalis habitum infantes non contaminare , nisi preceden-
tibus suo modo actibus , quemadmodum etiam ipse Adamus primigenia labis hæ-

bitum non contraxit, nisi ex precedente actu, licet alterius plane generis & modi. Non erat cur nunc demum ita evigilaret, cum eandem doctrinam ante plures annos in Synopsi jam tradiderim l. 2. c. 9. §. 20. hoc modo: Naturam autem ejus quod attinet, dicit peccatum istud totius naturavitium & à recto ordine deviationem, à primo ortu primisque mentis cogitationibus, ei adnatam. Confititque in eo, quod homo ita anima & corpore sit constitutus, ut à materno utero, primaque utriusque unione, non nisi stulta cogitet, & ad terrestria pronus vix quicquam ultra motus corporeos somniet, nec divina ac coelesti illa re afficiatur. A qua actuali à Deo aversione & ad carnalia inclinatione, quam in ipsis operationis sue primordiis patitur, quamque repetitis jugiter attibus confirmat, talis vitiosus habitus, ac concupiscentia dominatus ac fœda illa anima macula exoritur, quam corruptionem originalem appellamus. Ita ut hic etiam locum habeat, quod homo prius actu quam habitu se corrumpat; & à primarum cogitationum labo omnis porro natura corruptio derivata ac confirmata fuerit. & §. 27. Ista autem sanguinis ac spirituum intemperies, omnisque ista peccati armatura, naturali generatione prosemperatur. Cumque anima mox ac creata est tabido isto finu excipiatur ac immagratur, recensque adhuc nec ullo cogitationum usu firmata, cognati corporis motus & impetus sentiat, atque absque illis in tenera ista etate vix illas cogitationes formet, hinc patet quantopere ipsa à corpore corruptatur, ejusque tandem serva evadat; quod ipissimum concupiscenti a regnum est. Ex quibus mihi videtur vera ratio exortus congenitæ vitiositatis posse colligi. Cum enim anima procreetur à Deo destituta justitia originali (utpote anima futura filii Adami) & corpus humanum inordinatos præterea habeat motus sanguinis & spirituum (cujus inordinationis causas nunc non damus) non mirum est, animam ab illis motibus sollicitari quasi ad malum. Non quasi motus isti sanguinis & spirituum, qui qua tales automatici sunt, in semet ipsis physice aut moraliter etiam inordinati essent, sed metonymice sic dicuntur, propter effectum nimirum inordinatum, sive vitium morale, quod in anima producunt, per accidens, scilicet propter defectum justitiae originalis, qua destituta anima motibus istis obsequitur, & ita peccat: corpori enim obnoxia cum sit, supra illud sese attollere non potest, sed motibus ejus obsequiosa, nihil nisi carnalia cogitat, appetit & exequitur: unde nascitur concupiscentia; nihil enim nisi carnalia cogitare & velle, ipsa est concupiscentia. Omnis enim actus corporis vel mentis, hanc vel futuram vitam spectans, unde abest Deus rex, finis, principium, peccato commaculatus est, & non caritas est.

est, sed concupiscentia. Ut licet motus isti corporei, qua tales, non sint vitiosi, vitium tamen sit in anima quod motibus iis non resistat; cum corpus recte gubernare, & non ad se & carnem omnia referre deberet. Ita ergo anima motibus inordinatis spirituum obsequens, corruptitur, & vitiositatem congenitam contrahit, quemadmodum vicissim ipsa, ita peccato infecta & corrupta, istas spirituum impressiones producit & similium motuum causa est: sicut & nos, adulti facti, alternantes istas vicissitudines in nobis experimur, sentientes modo à corpore illiusque motibus vim fieri quasi animæ; modo vicissim animam concitare corpus, & rectorem sessoremque a-nimum modo in præcipitia impellere vectorem suum; modo vicissim fræno lupatisque excussis in avia ab illo rapi. Ita superius Martyrem audivimus peccati hujus originem inde deducentem, quod *quum corpus vitiatum sit, resistat animæ.* Ea vero non confirmata illis actibus quas habuit ab initio, ejus inclinationi obtemperat, nec ut par fuit, regit, sed ab eo regitur. Non potuisse melioribus aut accurrioribus ac brevioribus verbis mentem meam exposuisse. Hæc autem corruptio non mirum est, quod *actibus* animæ imbibatur, quodque ex illis demum habitum infantes acquirant. Anima enim cum creando uniatur, ut receptum ab omnibus, non cogitat, ne vel momento ante sui cum corpore unionem, adeoque non potest habitum aliquem haec-tenus conquisiuisse; habitus enim omnis præsupponit actum, vel plures. Anima ergo actum ante unionem sui non edidit. Dum ergo exiit & actu cogitat, caret iustitia originali, adeoque peccat; ex quo primo peccandi actu, sive solo, sive ex aliis etiam sequentibus, peccandi habitum contrahit. Cum enim ex unione cum corpore prima ejus cogitatio sit sensus, & quidem carnali plane modo; ex jugiter repetitis ipsis actibus nascitur carnalis ille animæ status, & concupiscenti habitus; qui, prout actus illi ætate roborantur & cognitionis incremento dato, distinctiores redduntur, magis ac magis in anima radices agit, & inde insuperabilis fit: donec anima corpore soluta, perfecta demum sanctitate perfunditur, & habitum hunc exuit; cessando ab actibus illis inolitis quos in corpore exeruit; quemadmodum corpori unita ad eos impulsa fuit, & inde habitum illum contraxit. Quia magis rationabili via corruptio illa concipi aut origo ejus explicari potest? quod autem Adamus per actum peccandi habitum contrixerit & solidaverit, notum est: illum autem alterius plane generis ac modi fuisse ab actibus ineditorum infantium, supe-

rius ex Apostolo ad Rom. 5: 14. vidimus. Ita ergo peccaminosus hic habitus non est sine actibus, utpote ex illis natus; quemadmodum sine actu nullus omnino concipi potest habitus, sive bonus, sive malus, sive innatus, sive acquisitus, sive infusus. Omnis enim habitus ad actum refertur, imo non est sine actu, vel ipse infusus. Infundit enim Deus actum (sicut ille cæteroquin exercitio naturali peragit) cum magna facilitate agendi: qui est habitus. qui proinde vel uno actu requiri potest, magna vi, sive gratia divina, ut in habitibus infusis videre est, sive devastantis peccati, ut cum Adamo actum est. Saltem omnem habitum comitur actus, aut potius natura eum præcedit. Non aliter ergo cum habitu hoc congenitæ virtutis res fœse habet; sive ille unico animæ justitia originalis destitutæ actu illi imprimatur, sive pluribus, quod suo relinquimus loco, cum in eo parum situm sit. Habent ergo hęc fœse fere velut calefactio & calor, velut mutatio actualis & mutatio habitualis, & uno verbo, velut actus & habitus. Concludit hinc suo more D. Antagonista, *Non jam ergo amplius peccatum originale est habitus innatus, sed acquisitus, uti prima Adami labes?* Sed hoc superfici & evanidi acuminis est. Scire jam poterat, esse habitum acquisitum, uti ipsa quoque Adami prima labes, sed acquisitum non ab homine rationis jam compote & in luce positio, sed infante, in ipso utero materno, adeoque simul innatum, imo & ante nativitatem jam acquisitum. Præcedit ergo, instat, *natura sua peccatum actuale ipsum originale?* Si peccatum actuale intelligat quale adulorum est, calumniosa simul & ridicula est quæstio, an illud originale præcedat: si actuale, quale suo modo in infantibus est, designet, illud originale non præcedit, cum ipsum originale sit, sed habitum tamen illum originalis labis præcedit, utpote inde natum. Quod pergit rogare de *animabus infantum, an sancta creentur, uti Adami, vel saltem in puris naturalibus,* id ex iam dictis dudum potuit cognoscere. Præcipue autem ipsum decebat me non dimittere, priusquam hoc unum solvam, *an cognoscant infantes actu legem, ejusque sanctionem pœnalem, suamque ad eam obligationem.* Si sic; quidni & alias quasvis veritates actu non rint. Lepide. at valeant illa absurdum cum ipsa illa assertione. Sed ferit tum altero cornu. Sinon; *qui quis actu peccare potest, qui actu non cognoscit legem?* Et ne effugiam insuperabilem scopulum, cavet, dicens: *Notari velim, me loqui de actuali notitia legis, non habitu ejus vel facultate innata, de qua Apostolus Rom. 2: 14, 15.* Ita nimurum sibi ipse omnem evasionis rimam præcludere debuit. Infantes ergo actu non peccabunt.

priusquam actu & actuali notitia cognoscant legem, ejusque sanctionem penalem suamque ad id obligationem. Dicerem ferme hanc secundum Cyclopedia magis, quam Reformatorum Theologorum & Philologorum Logicam institutam videri ratiocinationem. Infantes, pueri bimuli, trimuli-ve, & proiectioris aetatis, citra omne dubium actu peccant, ubi manifestissime actus ipsos ira, invidia, vindicta, concupiscentia, infinitorumque peccatorum edunt & exerunt. An vero ipse afferere ulla specie ausit, ipsos actu tunc cognoscere legem, ejusque sanctionem penalem suamque ad eam obligationem, quae vix proiectioribus inculcari queunt? Huius quam abnormis est illa, & in scholis Reformatis inaudita sapientia? Hac maxima iterum est novitas in illis qui novatorum debellatores audiunt. Luberet hic potius exclamare & suis ipsum verbis dimittere, arrigant aures velim Theologi judicentque de hac assertione; sed ineptiarum jam diu tardet pigerque. Confer hoc duntaxat cum effato divino, omne segmentum cogitationum cordis hominis tantummodo malum esse omni die Gen. 6: 5. Quanto rectius hic Philosophatus est Celeberr. Maresius System. Loc. 6. §. 53. Quando autem homines incipiunt actualiter peccare, haud facile est definire, nam in ipsis pueris etiam ante usum rationis, multa corruptionis & iniquitatis semina apparent, nominatum Idolatria in suis pupis, appetitus vindicta si fellos sentiant, & inanis gloria in suis ornamentis & mendacitatis. &c. & plerumque malitia supplet atatem.

XXVIII. Hac quamvis ad ~~avagnevij~~ ipsius argumentorum sufficiere putem, adeoque hac provincia defunctus videri queam, age tamen, ut liberales simus, addamus etiam, sed breviter, aliquam ~~avagnevij~~, & licet hoc a nobis, qui respondentis vicibus fungimur, nemo exigere queat, experiamur tamen, anne etiam illud quod habetens circa activitatem vitiositatis congenita docuimus, in ipsa Scriptura fundatum sit. Non quasi illa exterritim ita pronunciet; solum enim Scriptura generaliter plerumque res multas tradere, ad particularia autem & minutias omnes raro descendere, praeceps ubi Philosophici aliquid admixtum est, & a naturalibus veritatibus accuratior illa tractatio dependet, quas Scriptura magis presupponere, quam tradere aut inculcare solet. Quemadmodum, ubi de Christo Domino ejusque anima & natura humana agit, hujus constitutionem specificam & functiones interiores non tam tradere, quam presupponere solet, necessaria docere contenta. Ita & labem primogenitam hominum asserit clareque docet, specificam autem illius ra-

tionem, an habitu solo, an vero etiam actibus constet in infantibus, cum id à naturæ mentis humanæ accuratiōri contemplatione pendeat & ad salutis necessitatem non requiratur, non ita diserte tradit. Sufficiet igitur, si cum expressionibus à scriptura usurpati hæc, quam hactenus asseruimus, veritas nullo modo pugnet, sed cum ijs probe conveniat. Ordine igitur duntaxat præcipua Scripturæ loca de vitiositate hac agentia percurramus. Et primo quidem occurrit illustris ille locus, Gen. 6: 5. *Et vidit Dominus quod multa malitia hominis in terra, & omnis ἡγεμονία, imaginatio, figmentum, formatio, cogitationum cordis ejus tantummodo esset mala omni die.* Cui parallelus est alter locus Cap. 8: 21. *Quia ἡγεμονία, imaginatio, figmentum, cogitatio cordis hominis mala à pueritia sua.* Quorum locorum emphasis nunc non penitus examinebamus. Hoc tantum annotabimus, 1. agi hic de figmento cogitationum cordis hominis. quæ vocabula activa sunt & actionem notant, quemadmodum Cl. Buxtorfius vocem illam primam reddit, *Fictio, figmentum, cogitatio. conf. Deut. 31: 21.* ἡγεμονία, cogitationem ejus. 11. dici illud malum esse à pueritus ejus: proprie, ab excussionibus ejus, postquam nimis ex utero materno excusus est, h. e. à prima pueritia ejus, ut ne infima quidem pueritæ actas excipi possit, ne momentum quasi ejus aliquid excludas, ait Celeberr. Hoornbeek Socinianismi Confut. I. 3. c. 3. Ita Jarchius explicat his verbis מִשְׁנֶר לְצַאת מֵמֵעַ אָמֹן נָתַן בְּוּ יָצַר הָרָע. Statim ac excusus est ex visceribus matris sue, posuit in eo figmentum malum. Recte, nisi quod figmentum illud à Deo positum male innuat. Ita Aben Ezra de fragilitate humana, מִשְׁנֶר h.e. à tempore eo quo prodit à ventre sue matris. Hoc in priori loco exprimitur per verba כל הַיּוֹם omni die. quæ in rigore notant, omni die, quo homo existit, conceptus vel natus, illi convenire figmentum cogitationis, idque malum, quæ actuale figmentum cogitationesque malas arguunt. Demus autem, tantum de infima hominis pueritia, ex quo utero excusus est, hæc accipienda esse, nemo, opinor, negabit, non multo proiectiore animæ statum esse primo à nativitate tempore, quam in ipso utero materno. Licet enim quibusdam utatur tunc sensibus, quibus non utitur utero conclusa, tamen quantum ad rationis usum eadem illius in utroque statu videtur esse ratio: unde etiam rationis nulla omnino indicia primis à nativitate mensibus in illa apparent; quemadmodum etiam M. Regius primis vitæ mensibus nullam illi cogitationem tribuit, ut supra vidimus. Contra Spiritus S. ab omni die,

ab omni pueritiā illi figmentum & cogitationes tribuit. Unde etiam inter Judæos non desunt, qui יער figmentum malum docent dominari homini statim post absolutam formationem foetus, ante nativitatem ipsam. In codice Sanhedrim fol. 91: 2, quærit Antoninus ex R. Iehuda, *Figmentum malum à quo tempore obtinet dominium in hominem? an à tempore exitus (id est, nativitatis) an à tempore formationis (quo in utero formatur?)* Respondebat Rab: **כשעת יצירה ab hora formationis.** similem disputationem videre est in Beresch. rab. sect. 34. De figmento bono contra pronunciant, quod incipiat in homine existere demum post perfectionem intellectus ejus. Annotabo hic, quæ in hunc locum commentatur Celeberrimi nominis Theologus, D. Coccejus, Sum. Theol. c. 29. §. 31. hisce verbis: *Neque enim ociosa est in homine φύσις corruptio, sed, qua data porta, in matutum hominem rapit. Neque aliter fieri potest. Necesse est enim, hominem aliquid cogitare & pro re nata appetere. Neque absque cogitatione esse POTEST neque voluntas ab appetitu abstinere.* Atqui cogitatio hominis mali sive corrupti est mala in ipsa adeo pueritia: Gen. 6: 5. 8: 21. Emphatica etiam maxime sunt & egregia, quæ ad hæc loca adducit Ravanella in Bibliotheca sacra, ad Vocabulum *Figmentum*, ita differens: **FIGMENTUM** hominis, seu, cordis humani vocatur quicquid homo intus in mente seu intellectu, & in voluntate seu corde, ianquam figurulus vasa in officina sua, figit & format, atque adeo, sic vocantur omnes hominis, seu intellectus & cordis humani imaginationes, conceptus, cogitationes, inclinationes, motus, appetitus, affectus, molimina, & operationes: quo sensu omne figmentum cognitionum יער כחשות cordis hominum tantummodo malum esse omni tempore pronunciavit Deus, tum ante Diluvium: Gen. 6: 5. tum etiam post diluvium (ut scilicet ostenderet non esse restringendam hanc cordis humani pravitatem ad impios illos, quæ diluvio perierant) cum dixit, figmentum cordis hominis esse malum à pueritia ipsius, 8, 21, ad que loca allusisse videtur Christus: Matth. 15: 19. illaque ad extenuandam naturæ humanae corruptionem, depravatè leguntur in versione vulgata, que Gen. 6, 5. habet: cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore, ubi videre est. 1. pro omne figmentum cognitionum cordis (uti sonant verba Hebraica, & ipse Pagninus vertit) eam vitiosè habere: cuncta cogitatio cordis, omissa interpretatione vois יצר, quæ figmentum significat, nempe ne aliquis existimaret, damnari non solum cogitationes qualevisunque, sed & cogitationes ipsas accurate & summâ diligentia factas, imò etiam cognitionum fontem & initia. 2. eam nefariè quoque pretermittere particulam ב, id est,

id est, tantummodo, qui magni momenti est ad indicandum nibil quicquam
 boni esse in ipsis cogitationibus, earumque sone & initis. 3. cum יְהִי
 vertere debuisset, tantummodo esse mala, reddisse, intenta est ad
 malum, ingens enim discriminem est inter has locutiones: illa siquidem habi-
 tualem & actualem malitiam, ista vero dispositionem duntaxat, seu pravita-
 tem quandam ad malum denotat: qua corruptela extat quoque altero loco:
 Genes. 8: 21. ubi, pro, mala est, versio vulgarata habet: in malum prona est,
 & praterea ibid. יְמִינָה interpretatur, ab adolescentia sua, cum inter-
 pretandum fuerit, à pueritia ipsius: neque enim malitia seu pravitas illa de
 qua illic agitur, in adolescentia demum incipit. sed homini inest à pueritia
 prima, seu, ab infancia (quod tantundem valet, ac omni tempore, ex colla-
 tione cum cap. 6. v. 5.) atque adeo, ab ipsa conceptione, ut patet ex Psalmo.
 51: 7. itaque Sophista perperam concludunt ex illo loco: Genes. 8. 21. ita
 depravato, concupiscentiam demum rationem habere mali, seu, peccati pro-
 priè dicti in pueris baptizatis, cum illi adoleverint, seu, pervenerint ad ado-
 lessentiam, vel ad statem, qua homo ratione & libero arbitrio incipit uti,
 In qua erudita dissertatione, i. vocem יְהִי per voces maximè activas,
 fingere, formare, imaginationes, conceptus, cogitationes, &c. red-
 dit. 11. verbis ipsis habitualem & actualem malitiam pariter intelligi do-
 cet. 111. Illam non in adolescentia demum incipere, sed homini in-
 esse à pueritia prima, seu, ab infancia, quod tantum valet ac omni tem-
 pore, atque adeo, ab ipsa conceptione, dicit. quid ultra desiderari
 posset? Huc etiam facit istud Davidicum Psal. 51: 6. Ecce in iniquita-
 té genitus, formatus sum, & in peccato calefacta est de me, calefecit,
 tovit me, mater mea. Ubi non parentum, sed suam maculam
 ejusque originem ostensurus S. Vates, eam à conceptione & forma-
 tione sui in utero arcessit. verbis autem utitur, peccatum non solum
 habituale, sed & suo modo actuale natura sua significantibus. Ita
 Psal. 58: 4. dicuntur improbi aversi & errare ab utero, & Esaï. 48: 8. vo-
 cantur prævaricatores ab utero, verbis activitatem denotantibus, quem-
 admodum Joh. 9: 34. cæco isti dicitur, Tu in peccatis natus es totus. Ita
 etiam Matth. 3: 7. Pharisei & Sadducei à Joh. Baptista appellantur
 γεννηματα ἔχοντων, progenies viperarum: non, ut multis persuasum
 est, ex eo, quod viperæ in lucem non prodeat, nisi corroso matris
 ventre eaque necata, quod summum ejus nocendi studium signifi-
 cat; hoc enim fabulosum est: sed inde potius, ut videtur, quia,
 cum reliqui serpentes soleant ὄφεναι & ova foris edere, deinceps
 in terra fovenda & excludenda, quo, præter exoticos scriptores, E-
 saias

fias alludit Cap. 34: 15. 59: 5, quum interea temporis facultate a-
 gendi aut movendi sint destituti ; viperæ hoc peculiare est, quod tota
 formata & vivens ex utero prodeat : unde certi homines viperarum
 progeniei conferuntur, ut indicetur, illos ab ipsa nativitate malitiam
 jam formatam habuisse & actu ab illo retro tempore virus suum cir-
 cumtulisse. Quin & omnes homines ex carne nati caro dicuntur.
 Joh. 3: 6. sicut ex opposito, quod genitum est ex spiritu, spiritus dicitur.
 Quam autem actuosa sit caro, ut & ex adverso spiritus, videre est
 Rom. 7: 14. &c. 8: 4, 3. &c. Gal. 5: 16, 17, 22, 25. Ita rursus Ce-
 leberr. Coccejus in Sum. Theol. cap. 29. §. 6. Homo peccator appellatur
 in Scripturis caro, vel pulvis, Gen. 3: 19. Psal. 103: 14. Esai. 65: 25.
 Gen. 6: 2. Joh. 3: 6. Quia voluntas ejus perperam appetit aut fugit ea, que
 per carnis, sive corporis membra, oculos, aures, manus, palatum cognosci &
 percipi possunt. Quæ omnia actuales carnis motus exprimunt. Acce-
 dit hisce locus illustris Rom. 5: 12, 14. de quo & superius egimus, in
 quo Paulus non solum dicit, per unum hominem peccatum in mundum
 introiisse, & per peccatum mortem, & sic in omnes homines pervasisse mortem,
 propterea quod, vel, in quo, omnes peccarunt : sed & addit, regnasse mortem
 ab Adamo ad Mosen, etiam in eos qui non peccaverant in similitudine trans-
 gressionis Adami. Ubi non agit de peccato actuali aut imputato Ada-
 mi tantum, cum illi opponat reliquorum hominum peccatum, qui
 omnes peccaverunt, ut patet ex eo, quia mors in omnes pervasit.
 Unde Anselmus lib. de Concept. Virg. & peccato originali : Cum dicit
 Apostolus, quod supra posui, quia mors regnavit ab Adam usque ad Mosem,
 etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Ade, sicut
 significat infantum minus esse quam Ade, peccatum, ita aperte monstrat ali-
 ud esse. & com. 19. addit, quod per inobedientiam unius hominis αἱματι-
 ωλοὶ κατεσάρχονται τῶν ὄντων. Ubi recte Chamierus l. 1. de hom. cor-
 rupt. c. 5. §. 7. hoc vocabulum (ἀἱματιώλος) in Scripturis sumitur pro iis, in
 quibus est revera peccatum contrarium legi Dei. Et paulo post. Nunquam
 εἱματιώλοι dicitur de simplici reatu & absque ullo vito aut peccato. Ergo,
 cum dixit Paulus, multos esse constitutos peccatores per unius inobedientiam :
 nihil aliud intellexit, nisi eo Adami peccato effectum esse, ut omnes
 homines re vera, & in se peccatores essent. & recte Martyr: Quum dicantur
 peccatores constituti, oportet ut ipsi aut peccatum habeant, aut saltem ha-
 buerint, nam alieno vito nemo dicitur peccator. Inde & peccatum regnasse
 dicitur in morte, com. 21. quod maxime inhærens & proprium
 peccatum omnium hominum arguit. Cum vero Apostolus ubique

hic utatur verbis natura sua actione in significantibus, ἡμαρτεῖν, αὐτοχθόνες, ὀμαρτωλοί (quæ etiam infantibus hic tribuuntur) non debent illa ad solum peccatum habituale, exclusis actibus, restringi: adeoque magnum in hisce momentum & pondus est pro actibus peccaminosis, qui suo modo in infantibus etiam reperiuntur. Huc etiam referri post, quod ab opposito motus & actus in bonum Johanni Baptista in utero materno adhuc agenti attribuantur, uti natratur Luc. 1:41. quod quando audivit Elisabeta salutationem Mariæ, ἐκπίπτει τὸ βρέφος εἰς τὴν κοιλία μας, id est, juxta Vulgatum, exultavit in gaudio infans in utero meo, videtur non circa rationem dici posse, illum motum gaudii in isto foetu plus quam automaticum fuisse, & ad animum ipsius referendum. Quamvis enim Doctiss. Grotius illum pro gesticulatione sive subsultatione, qualis latantium esse solet, accipiat, aliud tamen suadere videtur vocis illius non solum passim alibi in N. T. sed & in hoc ipso capite usus, ut mox com. 47. ἐγκληματικά μας, ubi ad Spiritum refertur, quæ hujus quoque loci plane videtur esse ratio. Et frustra quoque ab aliis excipitur, non infantis, sed matris ἀγαθίασιν ab Elisabeta significari: non enim dicit, ἐκπίπτειν εἰς ἀγαθίασιν μα, ut mox εἰς κοιλία μα, sed simpliciter, ἐκπίπτειν εἰς ἀγαθίασιν τὸ βρέφος: quod infantis exultationem in gaudio manifeste indicat. Notatu digna hic sunt Venerab. Bezae verba: *Fortasse Lucas βρέφος quam εἰμβρυον scribere maluit, ut hunc filii adhuc semestris motum in utero inusitatum fuisse ostenderet & puero jam nato magis convenientem, quam adhuc intra uterum delitescenti. Nam alioquin minime novum est foetum in utero subsilire. Sed tamen hunc motum à Spiritu sancto profectum esse, satis etiam per se testatur Elisabeta oratio de Christi conceptu raticinantis, cui non interfuerat, & quem aliunde cognoscere non poterat.* Neque id mirum, mox enim à narrata hac infantis exultatione additur, *repletam esse Spiritu sancto Elisabetam*, ut motus istius foetus in utero materno causa ita indigitetur. Imo de ipso foetu dictum orat, com. 15. ipsum Spiritu Sancto impletum in, etiam à ventre matris sua, quid clarius & efficacius? Sicut ergo infans hic, extraordinaria Dei operatione & gratia, motus & activitatis in bonum, pro mensura sua, capax redditus fuit, ita conceptu non est arduum, infantes omnes natura sua motuum & activitatis in malum & concupiscen-

tiæ pro viribus suis capaces quoque esse. Saltem ex hisce Scripturæ locis claret, 1. Infantes quoque peccatores esse. 11. Peccatum illorum nusquam solo habitu restringi, ita ut excludatur actuositas, nimis ratione actuum animæ intmorum, & quales in isto statu ab anima edi possunt; aliud enim est de actibus plenæ rationis, aut externis, ut quando Ex. Gr. ipsis attribuitur, quod discrimen non norint inter dextram & sinistram, & similia. 111. Imo in contrarium verba activa usurpantur, ubi de illorum peccato agitur, quemadmodum exemplis ostensum est. Hinc ergo sequitur, si talis sit animæ humanæ ratio, ut natura sua actuosa sit, & à prima sua cum corpore unione omni actu non careat (quod inferius ostendetur) phraseologias istas Scripturæ sacræ non esse restringendas ad merum peccandi habitum, verum etiam ad actus aliquos peccaminosos, qualium anima in isthoc statu capax est. quod probandum erat. Huc ergo omnia aurigantur. Loca Scripturæ sacræ, quæ actualem corruptionem, sine exceptione, omni homini & omni ætati tribuunt, Gen. 6. & 8. Psal. 58. & similia plura. Nomina congenitæ vitiositatis, concupiscentia regnans in membris, ἀμαρτία καθ' ὑπερβολὴν ἀμαρτωλὸν, peccatum secundum excessum peccaminosum &c. Status conceptorum, qui sunt sub lege. conf. Psal. 51: 7. cum com. 8. Ecce veritate delectatus es in retributis, adeoque sunt sub præcepto dilectionis Dei, & in statu diligendi Deum, & ad ipsum omnia referendi per charitatem, aut ipsum non diligendi, & ad sese omnia referendi per concupiscentiam carnis. Natura mentis, quæ non est sine cogitatione. Natura omnis habitus, qui non est sine omni actu, adeoque habitus peccaminosi, qui non est sine omni actu peccaminoso. Natura motuum concupiscentiæ, etiam primorum, quos nostri vere peccatum esse tuerentur contra Pontificios, id negantes: tales autem motus peccaminosi ex illo fonte corrupto semper promanant ac ebulliunt, & concupiscentia illis jugiter fruticat. Semen fidei, quod infantibus fidelium tribui solet. Pœna infantium non federatorum, quæ secundum Reformatos non damni tantum est, sed & sensus. Consequenter & labes congenitæ dicit actualem pronitatem & inclinationem ad malum, ut malum triste respondeat malo turpi.

XXVIII. Neque est quod alicui videatur, male istos animæ in infantibus motus & actus peccaminosos censeri, cum potius automatici videantur motus, notitia & libertate carentes. Quamvis enim iubentes largiamur, longe minorem esse in infantibus cognitionem

ac libertatem, quam in adultis, non tamen omni cognitione ac liberitate animæ ejusmodi destitutæ sint, cum & ipsæ objecta illa, quæ à corpore illis proponuntur, cognoscant, & voluntate sua in illis appetendis consentiant, motibusque illis, quibus resistendum erat, seceducandas præbeant; quod carnalitatis & concupiscentiæ est: quemadmodum illud manifestum est in adultis, qui ubi passionibus suis & motibus sanguinis obnoxii sunt, ut in senibus, mulieribus, ægrotis, iracundis, aliisque videre est, sic infirmitatem suam produnt graviterque peccant: quod etiam suo modo & gradu in infantibus obtinet. Saltem istis motibus obnoxium esse, à Deo non est, neque talem esse hominem decet, neque tali in statu creatus fuit homo primus, neque in eo fuissent productæ animæ filiorum Adami, si in statu integritatis ille perseverasset; quæ ut imagine Dei prædictæ fuissent, ita quoque istos corporis motus expertæ non fuissent, aut certe iis non obsecutæ. Neque etiam in Domino Christo infante ista animæ ipsius corporis que, quod ad anomalos istos motus, fuit ratio. Cum enim è Spiritu Sancto fuerit conceptus, animaque & corpore sanctificatus, utique etiam anima ipsius sancta & in bono roborata, corporis spirituumque motus, quos inordinatos non habuit, recte gubernavit, ut spiritui subjecti essent, adeoque bene in omni infantia, pro mensura istius ætatis, cogitavit. Cum enim τὸ γενέαν ἡγον σανδιναῖον nasciturum ex Maria vocetur, jam vix conceptum Luc. 1:35. & deinceps in prima infancia describatur repletus sapientia, Luc. 2: 40: cuius illustre adeo dabat specimen duodecennis factus, com. 42. seqq. proficiens sapientia & statura, & gratia apud Deum & homines, com. 52. apparet ex illis, ipsum donis sapientiæ & sanctitatis admirandum jam fuisse puerum, & supra ætatem longe emicuisse: unde colligere est, ipsum à prima infantia, pro ætatis gradu, talem se præstuisse, anomalisque istis motibus ac concupiscentiis, quibus reliqui Adami filii subjecti sunt, deturpatum non fuisse. Sicut etiam hac de causa nusquam dicitur sanctitate aut bonitate profecisse, quemadmodum sapientia ac statura profecisse dicitur: perfecte enim bonus & sanctus, pro naturæ humanæ capacitatem, à prima conceptione fuit. Quod cum in nobis omnibus aliter se habeat ab ipsa animæ cum corpore unione, certe peccaminofum & malum istud est: & licet aliter animæ nostræ, ut in adultis, ita nec in infantibus, agere non queant, non tamen hæc impossibilitas à peccato nos excusat, cum illa ab Adamo attracta sit (quibus modis, non est hujus loci nunc explicare)

69

re) & non extra voluntatem, sed in ipsa voluntate, ad eque vitiosa
ac culpabilis sit.

X X I X. Unde etiam difficultas moveri non debet, quomodo
damnationi istae animae subditae sint. Illa enim difficultas longe ma-
gis premit aliter sentientium opinionem, qui merum duntaxat habi-
tum in labo originali ponunt; qui certe, si comparatio hic institu-
enda sit, minus plausibilem reddit damnationem, quam habitui su-
peradditi actus innumerii, illorum praecedentes consequentesque.
Quid ergo de stultis, fatuis, similibusque dicemus, ita natis, &
quidem extra foedus Dei positis, siquidem & illi à facie Dei rejiciendi
sint? quod tamen judicium ego mihi non vindico, sed judici mundi
relinquo. Dicendum certe de hisce omnibus, licet tales nati sint, ali-
que esse non queant, alios tamen eos esse debere: Deus ergo hanc
inordinatam constitutionem, quæ ipius opus non est, in creatura
sua, non post non abominari, illamque sic conceptam ac natam ob-
istam inordinationem non post non à communione sui separare. Ut
enim (præclare ita loquitur Gualtherus homil. 26. in Epist. ad Rom.)
*lupi lupos generant, ita Adam peccatores genuit: & ut luporum catulus
lupinam ingluviem non obscuris argumentis produnt, ita in infantibus quoque
peccatum tunc quoque vires suas exerit, quando per atatem opus adhuc nullum
possunt perficere.* Quibus verbis nihil ad rem nostram commodius po-
tuisset dici. Quemadmodum igitur lupi catulos, aut viperæ progeni-
em, licet vix exclusam, licet re ipsa nemini adhuc noxam attulerit,
necare & elidere nihilominus non desinit homo, & leonem dormi-
entem de medio tollere non dubitat, licet isthac tempore neminem
dilaceret, quia nimirum propensione naturalem nunquam deponit,
sed vel inter dormiendum, simul ac somnis aliquantulum remittit,
præde aut carni sibi objecte, licet somnolentus, inhibet: & quemadmo-
dum nos ipsi furem, dormientem licet, semper aversamur, qui furan-
di animum nunquam deponit, sed ut in ipso somnio quantum potest,
illius indicia exerit: ita multo magis sanctissimum numen viperinam
istam hominum progeniem, tam infastis natalibus editam, & in ipsis
cunis animum & corpus à Deo aversa carnique dedira exhibentem,
tanquam adulterinam & sibi plane dissimilem sobolem aversatur
& repudiat. Quo sensu jure meritoque exclamat Paulus Eph. 2: 3:
nos, Judæos æque ac gentiles, natura filios ira esse; qui nimirum ita
concepti & nati sumus, ut à prima mentis cum corpore unione,
corporis & peccati servi fuerimus, & ratione, quam tenuis illius fue-
rit,

rit, ab ipsa infantiā male usi; adeoque ira divinæ obnoxii simus.

XXX. Theologorum auctoritates quod concernit, cum heterodoxias non damnaverim assertionem, infantes non peccare actu in utero materno, licet illam falsam habeam, cesseret tandem calumnia, *socios ipsos habere malorum viros omnibus habitos ὀρθοδοξωτάτους*. Theologos istos agere de peccato actuali, quale vulgo dicitur, ubi id infantibus denegant, ex eorum verbis, quæ ipse citat, manifestum est. Sicut huc Calvini verba manifeste faciunt: *Nam tametsi sue iniquitatis fructus nondum protulerunt, habent tamen in se inclusum semen.* Annon fructus illi peccata externa, matura & aperta, quales fructus omnes sunt, designant, h. e. non quomodocunque actualia solum, sed matu- riora proiectioris ætatis peccata, quæ adulorum sunt? Ita ut D. Calvinus de istis peccatis, suo modo actualibus, quæ in utero patran- tur, & alterius generis ac adulorum sunt, non agat, neq; ea respiciat. Neque dixi, ipsum per *peccati semen* motus illos actuales qui in utero fiunt, respexisse; fassus enim sum, *in hac particulari explicandi ratione fori aesse dividiam aliquam esse*: sed hoc dico, *hoc peccati semen illud ipsum esse, quod ego (non vero D. Calvinus) per motus istos anima carnales intelligo.* Hi enim motus semen sunt respectu actuum externorum, deinceps inde progerminantium, sive respectu iniquitatis fructuum, quos deinde proferent, uti Calvinus loquitur. *Quod vero ego, actus vitiosos in infantibus in utero doceam esse semen, originalem vero labem fructum, cavillum est, responsione indignum, cum actus isti ipsam originalem labem constituant, & non solum illius habitum, verum etiam cum maxime peccata externa, sive iniquitatis fructum, ut D. Calvinus loquitur, pro fructu habeant.* Et certe quando Calvinus dicit, *habere infantes in se inclusum peccati semen: imo totam eorum naturam quoddam esse peccati semen*, an non eo ipso actuosam illam corruptio- nem & vitiositatem fatetur? quemadmodum non torpidum aut iners est semen, sed vivum, particulis actuosam constans, etiam tunc quando *saturn mortuum est*, ut *viviscat*, si cum Apostolo loquamur, 1. Cor. 15: 36. Et ut apposite loquitur doctiss. & Celeberr. Vogel- sangius, in specamine conflictus, *Seminia morborum revera quoque morbi sunt: atque illa certe possunt infantes congenita secum afferre in utero matrum.* Quis autem morbum, licet operationis naturalis privatio sit, sine o- operatione & actuositate, eti prænaturali, concepit, aut concipere potest? Idem & de hoc peccati seminio est in infantibus. Et quid, quæso,

quæso, aliud volunt Theologi orthodoxi, ubi vitiositatem hanc congenitam conferunt rapacitati in catulo lupi, licet neminem dentibus laceraverit, immanitati in leone, lui venenatæ in serpentibus vix exclusis? quæ dispositiones in illis ipsis bestiis non sine omni motu & actu sunt; & multo magis in homine, cujus mens longe magis actuosa est quam ullum corpus? Quid, ubi vitii illius contagium describunt instar pestis, vel veneni, vel fermenti, quæ maxime agunt ac seze diffundunt? Quid, quod ipsi Pontifici formale illius peccati collocant in aversione mentis à Deo, materiale in rebellione partis inferioris? quæ vœces actuale peccatum potius connotant. Thom. 1. 2. q. 82. a. 3. Bell. lib. 5. de amiss. grat. c. 5. Cl. Cloppenburgius, disp. 2. de peccato originis, dicit, non secus atque incensa fornax flammam & scintillas efflat, aut scaturigo aquam sine fine egerit; sic nunquam in nobis cessare, sed novos assidue fructus parere. Celeberr. Hoornbekius Socinian. Confut. l. 3. c. 3. hisce verbis labem hanc describit: Facile nunc ex opposito iustitia originalis habitu describitur originale peccatum, quod nempe illius sit carentia, & privatio, debita messe, atque naturam humanam ad actiones obeundas omni perversitate morali corrumpat & deordinet, ad instar morbi, ac languoris spiritualis; ut non solus sit nuda carentia atque absentia boni & iustitiae, vel otiosa privatio, qualis est quietis, ignobilis, sed privatio, quæ activitati subjecti, in quo est, cuius ACTIONES omnino ladit, & disforquet, contrariam adserit inclinationem, irregularitatem, & potentiarum, ACTIONUMQUE omnium deformitatem, atque irrectitudinem, unde legem membrorum vocat Apostolus: virium animæ ad bonum commutabile inordinatam conversionem, dicunt scholastici: quomodo se res habet in morbo, (quo simili, cum Thoma 1. 11. quest. LXXXII. Theologi hic commode utuntur) lepra, cum qua hoc peccatum componit Lutherus, aut lue pestifera, cœcitate, claudicacione, ebrietate, tyrannide, quæ suarum virtutum, aut qualitatum quoque sunt privationes, sed multum ENERGETICÆ. Professores Leidenses in Synoppi Disp. 15. s. 25. ita statuunt: Non igitur significanter satis vim hujus peccati expresserunt, qui eam tantum in iustitia originalis carentia constituerunt, quia per illud, natura nostra non tantum boni inops est, sed etiam malorum omnium adeo fertilis & ferax, ut otiosa esse non possit. Itaque corruptionis hujus duas partes cum Scriptura agnoscimus, nempe defectum & privationem boni: & pravam ad malum inclinationem; cum præter ignorantiam in mente, & aversionem à Deo in corde, hereat in omnibus, prouitas ad sapientum & faciendum quæ lege Dei prohibentur. Hinc quidam è nostris, somitem peccati non esse absque actuali-

actuali peccato, imo PECCATUM ACTUALE esse dixerunt: quod autem
quidem dictum, in calumniam tamen non debuit ab adversariis trahi, cum ni-
hil aliud voluerint, quam peccatum hoc esse actu, & ACTUOSUM etiam &
operosum, ut ne in parvulis quidem quiescat, quin vitiosos MOTUS excite.
Quid clarius aut efficacius? Neque privatos duntaxat Doctores ad-
ferre mihi obvium est, sed & publicas quoque Ecclesiarum Reforma-
tarum confessiones. Augustana Confessio primæ editionis, art. 2. ita
habet: Item docent, quod post lapsum Ade omnes homines secundum naturam
propagati nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga
Deum, & cum concupiscentia. Unde etiam ipsi Pontifici nostris objec-
runt, quod non distinguamus peccatum originale ab actuali: at ma-
le, prout ipsi pontifici Hoffmeisterus & Virvesius recte observarunt.
Vide Consult. Cassandri, & Bellarm. L. 5. de amiss. grat. c. 4. Saltem
cum Augustino in concupiscentia vitiositatem illam collocant Augus-
tanæ confessionis socii: quemadmodum & ipse Magister Sententiar.
distinct. 32. idem facit, & de ea vitiositate intelligit Apostoli verba,
peccatum intravit in mundum, item, peccatores sunt constituti multi. Conf.
distinct. ejus 30. Quod vero concupiscentia illa, cui fibulam imponit
decalogi decimum præceptum, dicens, Non concupiscet, sine omni
motu sit in infantibus, inter istam animi corporisque inordinationem,
neminem facile asserturum credo; contrarium faltem à nobis sequen-
ti capite probabitur. Conf. Rom. 7. Accedat & hinc ipsa nostra Bel-
gica Confessio, cui omnes nos adstrinximus, quæ Art. 15. ita habet.
Credimus Adami inobedientia peccatum, quod vocant originis, in totum genus
humanum sparsum & effusum fuisse. Est autem peccatum originis corruptio
totius nature & rituum hereditarium, quo & ipsi infantes in matris utero
polluti sunt, quodque genus omne peccatorum in homine progerminat, habens
se in ipso instar RADICIS ipsorum. Quodque ideo tam turpe & execrabile
coram Deo est, ut ad universi generis humani condemnationem sufficiat. Neque
illus per ipsum baptismum plane abolitum est, aut penitus extirpatum: quan-
doquidem peccatum ex eo ad instar ebullientis aquæ, semper exiit, tanquam
ex insalubri FONTE. Ita Calvinus præverat Inst. lib. 2. cap. §. 6.
fuisse Adamum humana natura non progenit orem modo, sed quasi radicem, at-
que ideo in illius corruptione merito vitiatum fuisse dominus genus. & 7. radice
putrefacta rami putridi prodierunt, qui suam putredinem transmiserunt ad
alios ex se nascentes sorculos. Quid disertius pro me dici posset? quis
enim radicem vivam, quæ genus omne peccatorum in homine progermi-
nat, & unde rami putridi prodierunt, vita, efficacia, adeoque actuositatę,
carere

tarere, negare potest? Licet enim radix & fructus tota natura, colore, sapore ac qualitatibus differant, viva tamen & efficax ac actuosa & que in suo genere est radix, ac ipsi fructus. Ita & licet plurimum differant peccata externa, aliaque, quæ actualia dicuntur in adultis, ab illis carnis & concupiscentiæ motibus, qui in infantibus deprehenduntur, non hoc tamen tollit, quin illa radix amara in illorum anima, quæ suppululans obturbat eosque polluit, perpetuo actuosa sit, & ille fons jugiter ebulliat, & fornax illa incensa flamمام & scintillas efficit, adeoque etiam suo modo actuale in ipsis peccatum sit, cum anima illorum vitiioso aëtu non caret. Ne quis enim nos tam bardos aut absurdos fingat, ut actuale peccatum, prout illud ab Augustino, & inde à Theologis fere accipitur, pro dicto, facto, aut concupito, contra legem æternam, infantibus tribuere existimet. Novimus hæc solorum adulorum esse, cum dicta & facta infantibus plane desint, concupita autem ab adultorum concupitis multum quoque distent, utpote quæ longe majori cum notitia, judicio, libertate que in ipsis nascuntur & peraguntur, quam in infantibus: qua causa est, cur peccata actualia à Theologis adultis duntaxat tribui soleant, ac infantibus tum demum, ubi ad aliquem rationis usum pervererunt, quod & nos libenter amplectimur, qui de ejuscemodi peccatis actualibus hic non agimus; sed illa infantibus hoc duntaxat sensu tribuimus, quatenus congenita vitirositas in illis non plane torpida, iners, & otiosa est, in mero habitu consistens & actione omni carens, quemadmodum Antagonistis nostris placet; cum ex adverso mens nostra semper actuosa & cogitans, & per unionis cum corpore leges ab illius motibus excitata (quibus tamen resistendo non est, utpote justitia originali substituta, & proinde illis obsequens, concupiscentiæ que se se ita ab initio sua existentia tradens) innumeris actibus sepolluat & carni magis magisque se mancipet. Adeo ut peccatum hoc activitatibus subjecti sui, cuius actiones ludit & distorquet, contrariam inclinationem adferas, actionumque omnium deformitatem, instar ebrietatis, suis pestifera, tyrannidis, quæ multum energetica sunt, ut Cl. Hoornbekius loquitur, & ACTUOSUM ac operosum sit, & ne quidem in parvulis quiescat, quin vitirosos MOTUS exciter, ut D. D. Leidenses loquuntur; quod formaliter idem est quod nos dicimus, qui aëtus & motus vitirosos duntaxat infantibus tribuimus, & hactenus tantum peccatum actuale: non vero illo sensu, quo actuale est peccatum in adultis: quod si quis existimet, nos negabimus in infantibus actuale peccatum

rum esse. Hinc etiam illud mentis ita sese corruptentis peccatum suo modo actuale dicimus, ut illud nimirum distinguamus ab actuali adulorum peccato, quod à Theologis sic appellari consuevit, cum hoc infantium peccatum hactenus actuale duntaxat sit, quatenus non in mero habitu, aut dispositione, aut inclinatione consistit, verum etiam in cogitandi aliquo, eoque inordinato, actu & motu, licet ille maximo intervallo ab adulorum peccatis actualibus discriminatus sit. Non pugnant ergo hæc duo, esse peccatum originale, & tamen suo modo actuale. Originale enim peccatum propriæ est, quod ab origine prima homini adhæret, ab Adamo transmissum. Illud autem actuale erit, simul ac homo, cui inhæret, actiones edet, & pro gradu illius activitatis plus vel minus actuale erit. Ita actuale erat in Adamo, plenis actionibus sese, utpote in viro, exerens, simul ac vitiositatem illam sibi contraxerat, quod peccatum ipsi originale erat, licet respectu nostri originans dicatur. In nobis, cum infantes natissimus, debiliorem initio activitatem habet, minusque actuale est, quia rationis usus longe minor & alius est in nobis infantibus, quam adultis factis. Actuale tamen est suo modo, quia anima semper agit, semper cogitat, & quidem carnaliter ac male, ab initio existentiæ suæ, ut saepius jam ostensum est. Utrumque ergo infantium & adulorum peccatum actuale est suo modo, sed maximo intervallo & discrimine; quod non tam est in ipsis actibus & habitu, illa enim pariter sunt in utrorumque peccato, sed in principio, modo, efficacia & *έργεια* actionum, quæ in infantibus tenuia sunt omnia, præ eo quod sunt in adultis: ita ut ratione cognitionis, judicii, libertatis, & *άντεστίς*, potentia, efficacia, quæque plura sunt talia, maximum sit discrimen inter infantium & adulorum peccata: actio ceteroquin ipsa, qualis, utrobique est; quæ cum ab ipsa origine in infantibus sese exerat, merito vitiositati illi congenitæ actus tribuntur, cum absque actu, ut superius ostensum fuit, nullus detur habitus, adeoque eo ipso quo habitus ille originarius & congenitus statuitur, congenitus quoque & originarius simul admitti debeat actus: ut non solum non pugnant, originale esse peccatum, &c, sensu quo diximus, actuale, sed & originale, nisi hoc modo actuale sit, esse nequeat. Neque aliter sane peccatum originale concipi potest, considerata mentis natura, & ista labis illius efficacia & *έργεια*, quam & Scriptura sacra & Reformati omnes Theologi ipsi attribuunt, ut modo vidimus, quod & omnes istæ similitudines, quas hic adhibent,

confirmant, utpote quæ sine actuositate intelligi non possunt. Ut certe nihil hic præter analogiam fidei & consensum Ecclesiarum Reformatarum, imo & testimoniorum præcipuorum ipsius Doctorum, qui uno ore (quidam etiam iisdem, quibus nos, verbis) istam activitatem labi huic congenitæ tribuunt, nos doceamus, sed illud duntaxat, quod omnes credimus, hic profiteamur; hoc unum conati, ut Reformatæ Ecclesiæ de congenita hac vitiositate doctrinam, qua potuimus accuratione, secundum intimam mentis humanæ naturam exponeremus, & distincte quomodo illa in nobis sese habeat, doceremus. Sicuti enim sæpius sub generali qualitatum vocabulo & notione in vulgari Philosophia delitescere solent scholarum Doctores, quas tunc demum clare percipimus, ubi particulares rerum figuræ motusque ex quibus istæ qualitates nascuntur, intelligimus: ut Ex. Gr. calor & frigus qualitatum nomine insigniantur, & reæte. Ubi vero ad interiorem qualitatum istarum naturam attendimus, percipimus, calorem & ignem in vario materiae subtilis motu, frigus vero in contraria illius quiete consistere. Ita, ut infinita alia mittam, congenita vitiositas qualitatis notione, & reæte quidem, exprimitur. Illius vero qualitatis interiorem naturam rectius & distinctius intelligemus, ubi non generali duntaxat habitus alicujus vocabulo eam nobis representabimus, sed distincte attendemus, quomodo in motibus corporis & actionibus mentis inordinatis vitiositas illa consistat, & è quam parvis & tenuibus motibus actionibusque primitus exsurget, & ab ipso usi annisque robur sensim sumat. Quod ad veram doctrinam hujus fidem, hominis inde depressionem maximam, Dei autem justitiaeque ipsius & iræ adversus creaturam, adeo ab ipsis incunabilis feedam, & actionibus inordinatis sese ab initio existentiae sua descedantem, glorificationem, qui doctrina Reformatorum unus est scopus, plurimum confert. Ut nobis de Ecclesiarum nostrorum doctrina non male meriti hoc modo videamur. Abeant ergo & ocellement nobis, ad hac omnia non attentes, adverfarii nostri, Novatorum hanc esse doctrinam, SS. literis directe contradictriam, dirisque modis pro sua peritia in nos debacchentur: rectius iudicaturos non dubitamus, qui consideraverint, quam solide doctrina hec verbo Dei intimèque mentis nostræ nature superstructa sit, quantumque à tot præstantibus Theologis Confessionibusque Reformatis testimonium referat: licet ceteroquin humanis nominibus illubenter certem, aut doctorum auctoritate pugnem. Illi enim, si opiniones

iuas ex Scriptura & ratione non hauserint , quid est , cur eos sequamur extra eas errantes ? si vero inde sua petierint , quid est cur idem & nos inde non petamus , aliisque ostendamus ? si vero illorum dogmata pugnant cum S. literis & ratione , audiendi non sunt , qui illa docent , etiam si doctores , etiam si patres sint , aut , ut loquitur Apostolus , Angeli de cælo . Imo si vel omnes , quod plane aliter est , à me dissentirent , non putarem tamen illorum dicta anteponenda esse scripture testimonii argumentisq ; ex illa & ratione petitis , quibus nitor quantum quidem capere possum , plane necessariis : cum ex adverso viderimus quam facile substructio eorum , qui loco auri , argenti & lapidum pretiosorum stipulam hic ædificarunt , admoto igne sacram rūm literarum & rectæ rationis , flamمام concipiat & comburatur : ut si sapiant , ita admonitos in posterum operam daturos sperem , ne eadem stipula ædificium suum dehonestent . Atqui hæc de ista controversia . Ex cuius vera intelligentia nunc patere arbitror , quo pacto mecum hic actum sit , dum 1. primi illam mihi moverunt Antagonistæ , & in theatrum produxerunt verbis istiusmodi , quæ ad invidiam & odium mihi confundendum composita erant . 11. Novatoris titulo hoc nomine me traduxerunt , & qui *dogma* quod *sacris literis directe contradictorium est* , assererem . 111. qui testimonium orthodoxias aliter sentienti denegaverim . Cum contrariam opinionem heterodoxam esse sermone meo non asseruerim , sed hanc ipsam opinionem ab heterodoxias crimine , illi impacto , vindicare duntaxat studuerim : neque eo nomine testimonium alicui denegaverim , sed alterius monstrificæ opinionis ergo , uti superius ostendi . Ut merito de gravi injuria mihi illata hic conquerendi justam causam habeam , dum & præter veritatem opinionem meam hic impugnarunt Antagonistæ , & sermonem meum mendaciter adeo ac falso disseminarunt : Mendaciter dico , hic & alibi , quatenus falso : an enim contramentem & conscientiam hæc ita relata sint , Deo committo , qui omnium diusta & cogitata novit , & suo tempore de iis judicaturus est .

C A P U T III.

B R E V I A R I U M

*Progressus fit ad fundamentum prioris sententiae de actibus
infantium peccaminosis , an nimis mentis essentia consistat in perpetua
cogitacione*

cogitandi actu? ubi 1. discutitur, an mens possit esse mera cogitandi potentia? 31. 11. quomodo in mentis essentiali actu sit potentia & habitus? 32. 111. An omnis actio vel actus requirat principium, vel subjectum à se distinctum? 33. 1V. quomodo mens sit cogitatio, sive res cogitans? 34. Hæc mentis actus, sive perpetuus hic cogitandi actus, probatur insuper variis argumentis, 1. ex natura actus & potentia, 35. quod argumentis quatuor ad hominem confirmatur, 36. 11. ex natura mentis quatenus est spiritus, 37. quo facit ipsius vita, 38. que ceteroquin à mente tollitur, 39. sicuti ab alia parte brutis immortalis vita ex contraria opinione tribueretur, 40. Facit hoc quoque mentis collatio cum aliis spiritibus semper cogitantibus, 41. imo cum ipso Deo, 42. Idem etiam arguit mentis ipsius propria conscientia, 43. 111. ex ejus cum corpore unione, 44. que illius essentiam non tollit, sicuti ceteroquin fieret, 45. quo facit & labis congenitæ per corpus propagatio, 46. & passionum ab ipsa ejus cum corpore unione ortus ac regnum, 47. removetur difficultas ex eo petita, quod cogitacionum in infante habitarum non meminerimus deinceps, 48. removetur itidem invidia novitatis, & novam non esse hanc sententiam pluribus testimonis ostenditur, 49. & vindicatur testimonium D. Bisterfeldii nuperius citatum, 50. Refutatur monstrosa opinio dari posse substantiam tertiam, medium inter spiritum & corpus, 51. & ostenditur istiusmodi substantiam non esse brutorum animas, aut formas substantiales Peripateticorum, 52. sententia bujus novitas & periculi plena absurditas, 53. Epilogus, 54.

§ X X X I.

Vidimus hactenus qualem D. Opponens sese in Theologis præstiterit; ubi illa docuit, quæ necdum satis didicisse sese ostendit. Sed nunc in arcem ipsius Philosophicam invadamus, experturi quam fortiter sua sit turtur. Convenieramus in eo, assertiōnem de infantibus, etiam in utero actu pescantibus fundari in eo, quod cogitatio actualis ab anima separari nequeat. Si enim infantes actu cogitent, cum iustitia originali careant, nemo eos actu peccare negaturus est, ut dixeram, ideoque ostenderam, animæ essentiam non in cogitandi potentia, sed actu consistere: quod hoc argumento, & coram M. Regio, & in epimetro deinceps demonstraveram: Omnis potentia, cum relativa sit, fundari debet in absolute aliquo, quod illius potentia subjectum sit. Detur ergo subjectum istius potentia cogitandi, quæ animæ, præcisæ omni cogitandi actu, tribuitur, & in qua animæ essentia ponitur. In hac quæstione cum

totius controversiae cardo versetur, D. Opponens, ex quo in multum verbosus, aridus admodum est, & tanquam illam attingere horrens, argumentum meum, licet bis propositum & pressius adducat, non nisi admodum truncatum repetit, & ad illa ipsa quæ ex illo proponit, tribus verbis duntaxat respondet. Quæ huc deveniunt.

1. *Quasi flatuamus*, dicit, *eam potentiam ab anima essentia distinctam*, quod in subjecto phisico & in hæsionis requiritur. *Est, ô bone!* ipsa essentia anima prona ex se ad actus secundos elicendos. Sed non est quæstio, an animæ essentia ex se prona sit ad actus secundos elicendos, hoc enim facile damus de omni potentia, quæ prona est ad actus sui generis elicendos, verum quæstio erat de subjecto istius potentiarum, sive in quo subjecto illa sit, aut hæreat. Secundum principia Peripateticæ Philosophiae, in qua facultates & potentiarum qualitatibus accensentur, necessario præsumum earum requiritur subjectum. Consule Tileni Syntagma Disp. 29. §. 5. ubi ita insit: *Fieri non potest, ut quæ genere differunt, re inter se non differant.* Quamobrem facultates animæ, qualitates cum sint, plane idem esse non possunt cum anima, quæ est substantia. In solo enim Deo potentia non differt ab essentia. Inde in illa Philosophia discrimen semper factum est inter esse, posse & agere. Quin & non defunt Theologi inter nos, ex illis principiis procedentes, qui ipsam Dei essentiam concipere solent tanquam subjectum præsumum attributorum Dei. Novitas ergo est in ista Philosophia, facultates appellare substantiales, & pro substantiis illas habere. Quod hic facere videtur D. Opponens, negans cogitandi potentiam ab anima essentia distinctam esse. Cum enim animæ essentia in mera cogitandi potentia consistere non possit, ut jam probabimus, dici nullo modo potest, cogitandi potentiam, prout ab actu cogitandi distinguitur, ab anima essentia distinctam non esse. Verum ita esto. Si igitur illa cogitandi potentia ab ipsa anima essentia distincta non sit, ut supponit Antagonista, superest ipsam animæ essentiam nihil esse nisi cogitandi potentiam. Hinc jam difficultas nascitur, non solum quomodo animæ essentia prona sit ex se ad actus secundos elicendos, ubi nullus actus primus ostensus est, sed ubi tantum est mera cogitandi potentia, & quidnam præterea sit, quod illam potentiam actuet, actusque secundos ex ea eliciat, cum ipsa mera potentia id facere non possit? sed præcipue manet insuperabilis difficultas, quodnam istius potentiarum subjectum sit. Sive enim illa potentia ab anima distincta ponatur, sive non, requirit subjectum. Esto ipsa anima re ipsa idem cum illa cogitandi potentia;

illa

illa nihilominus cogitandi potentia requiri subjectum , saltem attributionis, quod ratione ab ipsa distinctum ostendendi debet: imo ipsa anima, quod majus est, tum requiri subjectum aliquod, cui insit. Anima enim potentia erit , præcisa ab actu , juxta hanc philosophationem. Mox enim Noster exclamabit ad Philosophos , non admittens actionem esse subjectum potentia. Hanc ergo distinctam vult esse ab actione. Assignare ergo debet subjectum illius. Omnis enim potentia subjectum requirit, cui insit. Nuda enim potentia sine subjecto intelligi nequit, ut in omni potentia, corporea, spirituali , manifestum est. Potentia enim, sive facultas omnis, sine substantia aliqua, cui insit, intelligi non potest , nec proinde etiam absque illa existere : potentia, sive facultas corporea, non sine substantia corporea , sive extensa , facultas, sive potentia cogitandi non sine substantia intelligente, sive spirituali. Tolle à facultate corporea extensionem , & quid supererit ? tolle à facultate cogitandi cognitionem , & quid supererit pariter in mente , cui illa facultas conveniat ? Imo esse potentiale , ut recte Cartesius Medit. tercia , *proprie loquendo nihil est* : omne enim quicquid aliquid est, actu est. Requirit ergo hæc cogitandi potentia subjectum, cui insit. Hoc subjectum ostendatur. Dicere, non requiri subjectum physicum & inhesionis , ubi potentia ab anima essentia distincta non est, nil est. Nam primo, non hic agitur de subjecto logico, sive attributionis, cui res in prædicando tribuitur, sed de subjecto physico, sive inhesionis: quale subjectum physicum & inhesionis requiritur, non solum in accidentibus, quæ realiter à substantia differunt, verum etiam in proprietatibus, facultatibus, potentiis meritis , & illis omnibus, quæ substantię alicui physice inhærente concipiuntur ; illa enim omnia, cum nihil qua mera potentia subsistat, subjectum necessario & actu substratum requirunt : potentiam enim ab actione quam maxime distinguit Noster, ut mox videbimus. E. G. facultas percipiendi , movendi, & quicquid tale est, animæ inhærente dicitur , adeoque subjectum datur illarum facultatum, quod est anima. Ita & potentia cogitandi, cum physica sit & realis, quæ animæ physice inest, subjectum requirit & actu, cui tribuatur. Si regeras, ipsam animam esse cogitandi potentiam, redit iterum difficultas , quodnam istius potentia cogitandi subjectum sit. Omnis enim potentia actu prærequirit sibi substratum & cui insit. Cum ergo anima ipsa in potentiam convertatur , quæ actio esse non potest , juxta Nostrum, assignari debet utique ille actus , sive illud potentia cogitandi subje-

ctum.

etum. Non sufficit dicere, subjectum illius potentiae cogitandi esse animam; haec enim bruta vox tantum erit. Cum enim animae essentia eadem ponatur esse cum illa cogitandi potentia, non poterit illa hujus subjectum dici, nisi voces & inania tantum verba velis dare, aut ad summum confusum duntaxat conceptum: anima enim, quæ à potentia cogitandi non supponitur distincta, adeoque ~~sit~~ illam concepta inane nomen aut confusus conceptus tantum erit, ponitur potentiae illius cogitandi subjectum. Adeoque anima erit subjectum sui ipsius. Quod in subjecto logico & prædicationis ferri posset, si potentiam illam cogitandi idem concederent esse cum cogitandi, vel cogitativo actu. Hoc vero diserte Nostrum mox negantem audiemus. Ergo illa potentia cogitandi, sive illa eadem sit cum essentia animae, sive non (periude enim est, cum ab actu cogitandi distinctam & separatam esse velit) necessario subjectum requirit cui insit, & quidem non logicum, sed physicum, est enim revera ab actu, ut vult, diversa. Hoc ergo subjectum, iterum dico, & semper dicam, donec mihi satisfiat, assignetur. Cum enim sub esse potentiali solo nihil existat, potentia omnis, adeoque & ipsa anima, si in mera potentia cogitandi constituatur, diversa ab actu, certe subjectum requiret. Tum animae vox concretum quid est, quod in conceptu suo & essentiâ animae, & proprietates eam consequentes, & actus, & omnia quæ in anima sunt, complectitur. Exprimi ergo debet distincte illud primum & radicale, in quo essentia animae consistat, cuiq; reliqua insint. Eodem modo, sicut non sufficit dicere, subjectum figuræ esse corpus. Corpus enim ipsum concretum quid est, quod omnia, quæ in eo sunt, complectitur, & essentiam ejus, & proprietates eam consequentes, & figuram, sub qua existit, & reliqua. Monstrariri ergo debet primum aliquid attributum, & quod reliquorum radix est, cuique omnia illa insint; quod sola deprehendetur esse extensio. Ita ostendi oportet, quoniam in anima primum sit subjectum, cui cogitandi potentia ac facultas insit, quod non est cogitandi potentia (illa enim aut sola existere, aut sui ipsius subjectum esse nequit) sed cogitandi actus. Secus aut anima sine essentia debet concepi, aut si ea constat in cogitandi potentia, illa in se ipsa erit, sine actu, adeoque mera potentia & relatio sine actu erit; aut aliquid corporeum illius actus erit; aut certe, quod nos volumus, in cogitandi actum omnia resolvi debent; à quo actu cogitandi potentia re ipsa non differt, uti mox ostendetur. Illum vero cogitandi actum cum adversarii necessarium neget

negent ad mentis essentiam concipiendam, sed abesse plane posse a-
jant à potentia cogitandi, utique non rationis tantum discrimen erit
inter actum & potentiam cogitandi, sed reale, adeoque in mera co-
gitandi potentia natura mentis consistere non potest, sed necessario
cogitandi actus ad illam constituantur.

XXXII. 11. Respondeat, concidere hinc meam conclusionem;
quod animæ essentia sit actus spiritualis, b. c. cogitatio; quæ sit subjectum
istius potentia: addideram ego, in quo ab illa non nisi ratione differt.
Cum certe potentia omnis subjectum requirat, utique potentia co-
gitandi nullum aliud subjectum esse potest, nisi res actu cogitans, si-
ve actus cogitativus: nisi ipse mavelit potentia spiritualis subjectum
esse posse actum corporeum. Exclamat hic, tanquam super re mon-
strifica, quasi ad senatum Philosophorum: *Audite, Philosophi! Actio est*
subjectum potentia; illa igitur & hac prior, ordine naturæ. Si Philosophum
se hic, ut profitetur, præstisset, non certe hac dixisset. Quid enim?
an potentia spiritualis aliud esse potest subjectum, quam actio, vel
actus, ut locutus ipse eram, & ut loquuntur scholæ, cum res spiri-
tualis nihil aliud sit quam actus? Præcipue cum actus spiritualis ab illa
potentia non nisi ratione differat, uti dixeram. Apparet id in angelis,
in anima separata, quas creaturas semper actuolas & cogitantes ipse
agnoscere debet: quodnam enim potentia, quæ in ipsis, est subjectum,
nisi substantialis eorum actus? idem ergo de mente humana obtinet,
quum unio cum corpore spiritualem ipsius naturam non aboleat.
Potentia ergo omnis in mente nostra subjectum est perpetuus ipsius
actus. Quia enim in præsens ago, inde in futurum dicor posse age-
re: actus enim actui porro succellurus est, & inde quod ratione op-
erationis præsentis dicitur actus, idem ratione futuræ concipitur ut
potentia, seu facultas. Ita ergo sibi invicem succedunt actus, poten-
tia, sive facultas, & habitus. Actus dicitur prout præsens est; poten-
tia, sive facultas, prout actus ille concipitur tanquam futurus; habi-
tus, prout actui, & per consequens potentia, addit quandam facili-
tatem. Hactenus ergo, ne miretur, actio, sive actus, potentia *ordine*
natura prior est; nimurum actio, vel actus prior, qua mens initio suæ
existentia constituitur, quæque adeo potentiam ejus antecedit: cum
ceteroquin alii actus, vel actiones, sequentes, quatenus ex illa poten-
tia fluere concipiuntur, illa etiam hactenus posteriores sint. Unde
iterum patet, potentiam cogitandi, cum actu natura posterior sit,
necessario subjectum requiri, adeoque animam mera cogitan-

di potentia circumscribi non posse, cum potentia illa actum, ex quo profluit, presupponat. Ille vero cum hoc neget, nolitque actionem esse subjectum potentiae, sed potentiam ab actu semper velit diversam esse, & tamen mentis naturam mera cogitandi potentia absoluta, eo ipso in inextricabiles difficultates se se conjicit, cum potentiae istius cogitandi, ab actu diversa, subjectum assignare teneatur; quod in eternum, nisi fallor, non est praestiturus.

XXXIII. 111. Cum stimulo definit, & $\kappa\alpha\tau\alpha\tau\theta\beta\alpha\iota\sigma$ ita rationatur. Omnis potentia, uti inquit D. Opponens, supponit subjectum; da ergo subjectum potentiae cogitandi. Retorquet. Omnis actio supponit subjectum; da ergo subjectum actionis cogitandi. Si regerat, actio haec à subjecto non distinguitur, regero & ego, potentia hac à subjecto non distinguitur. Si inster, at omnis potentia est quid relativum ad suum subjectum, insto & ego; etiam omnis actio est relativum quid ad suum principium. Nam sumus ergo pares. Peracute. Experiamur breviter quid de hisce sit. Aut argumentatur ita D. Philosophus universaliter, aut particulariter. Si particulariter, nihil concludit, ut notum est: si universaliter, fallit ipsius propositio, quod omnis actio supponit subjectum, & quod omnis actio sit relativum quid ad suum principium. Apparet in Deo, qui est spiritus, & actus, uti loquuntur scholæ, purus, imo purissimus. An autem divina actio requirit subjectum, aliud nimirum quam attributionis, sive prædicationis, & relativum est ad suum principium, nimirum à se distinatum? Absit; cum Deus sit actus purus, subjecto carens, sed qui ipsa ejus essentia est, & ipse principium omnium eorum, quæ à Deo proficiuntur. Et ita quoque cum omni spiritu res se habet, quod nimirum operetur per suam essentiam, sive quod essentia ejus, quæ in actu substantiali consistit, sit immediatum principium operationum ejus. Cum enim essentia spirituum actu substantiali absolvatur, & nihil aliud in ea concipi possit, sequitur spiritum, adeoque mentem nostram, operari immediate, sive per suam essentiam. Quod longe magis verum est, quam quod apud Peripateticos accidentia sunt immediatum operandi principium. Multo magis enim substantia actuosa, qualis est spiritus, immediatum actionis sue principium esse potest. Ab illa enim immediata est omnis operatio, cogitatio, omnisque illius varietas ac diversitas, imo sicut ab illa est omnis actio, ita & actionis facilitas, sive habitus. Ita ut spiritus agens per suam potentiam, quæ idem est in ipso cum essentia, revera agat per essentiam suam: quod etiam locum habet,

ubi agit per habitum. Ille enim cum actum sive potentiam tantum faciliter, rursus eo recidit res, ut agat spiritus per essentiam suam. Materia autem cum per semet ipsam actuosa non sit, sed per motum, qui ab illius natura differt, per semet ipsam non agit: aliter vero spiritus, qui per essentiam suam actuosus est, imo cuius essentia in actuositate consistit. Ita ut non absurdum sit, substantiam aliquam identificari cum sua actione, sive actu & operatione, cogitatione nimis substantiali, quæ revera est substantia cogitans ac operans. Ita ut omnes spiritus hac in re convenient. Hoc tamen discrimen intercedit inter spiritus creatos & in creatum, quod hic omnia agat per suam essentiam, tanquam per actum unicum, simplicem, immutabilem & non modificatum: spiritus vero creati agunt per essentiam suam, sed tanquam per actum non unicum, simplicem, immutabilem, sed successivum, modificabilem & variabilem: unde in illorum potentiarum modo habitus insunt, quibus illorum actus facilitantur, ut ita loqui liceat, modo non; qui plane à Deo absunt. Neque cogitet quis, causam cur Deus agat per essentiam suam, petendam esse ab infinita ejus perfectione, quæ cum spiritui creato desit, hinc quoque sequi, illum non agere per suam essentiam. Perfectio enim Dei non est causa cur Deus sit actus, agatque per essentiam, sed quod sit actus purus: quod autem actus sit & per essentiam agat, dependet ab ejus spiritualitate: quæ cum omni spiritui insit, hinc quoque necessarium est, omnem spiritum, ut potest actuosum, per ipsam suam essentiam agere. Ex quibus nunc clarum est, non omnem actum, nimis in spiritibus, supponere subjectum, neq; relativum esse ad suum principium, tanquam à se diversum, cum ipse actus sit spiritus essentia & ipsum operandi in eo principium: aliud vero est de potentia, quæ concipi non potest sine subjecto & principio, ut pote in mera relatione consistens. Adeo ut hic minime simus parres, sed maxime disparem. Hic tamen, ubi maxime illum laborare & nunquam mihi satisfacturum censeo, ille, qua est modestia & verecundia, me præclara illa compellatione, o bone! alloqui dignatur: quæ cuius sit apud literatos ponderis, notum est, non longe nimis abludens à τῷ ἔακτῳ, de quo in Euangelio, Matth. 5: 22. cuius præcepti Domini sui si memor fuisset, non hujus peccati se regum fecisset. Lubet hæc illustrare verbis virti, ingenii, eruditio[n]is & pietatis singularis, D. Petri Poireti, qui in Cogitationibus rationalibus de Deo, anima & mente (qui liber postquam hæc scripta sunt in

lucem prodit) l.2. c. 2. §. 3. ita loquitur: *Pari modo solvi potest terria difficultas, qua mentis natura cogitatio ideo esse negabatur, quod hæc actio est, non res agens.* Nam (ne jam immoremur in eo quod non omnis cogitatio actio sit, sed sint etiam multa illæ passiones) notandum est, vocem actionis certam applicationem rei ad singulare aliquid obiectum communiter designare quo sensu duci nequit cogitationem late sumptam, ut mox monitum est, notantemque mentis naturam, esse actionem: cum potius sit, tum principium agens, tum etiam subjectum passiones admittens. Hoc ceteroquin non impedit, quominus cogitatio, quatenus consideratur ut applicatio specialis ad aliquod obiectum, actio sit vocanda: ac tum ea, ut visum, non est de essentia mentis sive cogitationis fundamentalis: non enim idcirco est in nobis perceptio seu conscientia, quia ad tale quid obiectum est applicatio, sed contra. Igitur hoc sensu natura cogitationis non est actio. Ceterum quemadmodum verba ex semetipsis valde sunt indifferentia, nihilque consideratu dignum prater voluntariam, qua eis assignatur, significationem obtinent, si quis prater usum communem velit cogitationem, ut ea hic assertur esse mentis natura, actionem vocare; vocet quantum libuerit: at tum negandum est id, quod ita actionem appellabit, deposcere aliam rem diversam, unde tanquam à principio actio ea emanare concipiatur.

XXXIV. iv. Subtilis illi videtur animæ delineatio, quod ejus essentia in cogitando consistat: non quod anima sit hac vel illa cogitatio particularis, sed cogitatio generaliter (idea Platonica forte, ait) quæ in omni cogitando actu manet, sive substantia cogitans. Sed si paulo subtiliori esse illi placuisset, vidisset hic ideam Platonicam nullo modo esse. Cogitatio nimirum prout animæ essentiam constituit, non est cogitatio hæc vel illa particularis, quæ animæ modus est, sed substancialis illa cogitatio, quæ in omni cogitatione est, quæque nexum facit omnis cogitationis particularis. Quæ cogitationes particulares non sunt ipsa animæ essentia, sed determinationes duntaxat sunt substancialis illius cogitationis, quæ in omnibus cogitationibus particularibus manet, sive actus illius substancialis, in quo animæ essentia consistit. Ita ut non tam in cogitatione, quam in cogitando, ut ita dicam, essentia animæ consistat. Hæcne idea Platonica est? Ex. Gr. In corpore perit hæc & illa ejus figura, sive extensio particularis, & mutatur perpetuo; manet tamen in eo semper extensio: non quasi ideo maneret tantum extensionis idea Platonica, aut extensio generalis sine particulari. Ita quoque mutantur hæc & illæ cogitationes in anima, manet vero semper cogitatio in genere considerata, sive potius

tus cogitatio indefinita, in qua natura spiritus constituit quæ cogitatio in genere, sive indefinite ita considerata sub omnibus cogitandi formis, ut extensio in genere sive indefinita concepta sub particularibus extensionis modis, plane aliud est quam cogitatio aut extensio generica, sive communis, hoc est, quam idea Platonica. Manet ergo, mentis humanae essentiam consistere in cogitatione substantiali, non vero substantiam ejus priorem concipi debere ante omnem cogitationem. Hoc enim fieri nequit. Qui enim substantiam mentis ante omnem cogitationem percipit, deprehendet, se loco spiritus, subtile corpus concipere. Tum nec cogitare hoc aut illud particulatum, locum haberet in mente, nisi illius essentia consistet in substantiali cogitatione. Cogitare enim vires materiae superat, adeoque necessario a spiritu, cuius essentiam constituit, provenire debet. Et sic mens non est prior omni cogitatione, quamvis prior sit illis omnibus, quæ primam cogitationem sequuntur: quemadmodum corpus, sive res extensa, non est prius omni extensione, licet prior sit omni particulari extensionis modo, qui primigeniam illius extensionem & constitutionem sequitur. Ut ergo recte Cartesius in notis ad programma loquitur, in mente *salam cogitationem, cum variis cogitationum modis agnoscimus.* Hæc tamen omnia pro nugis illi habere luctet, non aliter ac si ipse, uti ait, animam definiisset, quod ejus *essentia in cogitandi potentia consistat: non quod anima sit hæc vel illa potentia cogitandi particulatum, sed potentia cogitandi generaliter, quæ in omni cogitandi potentia manet, sive substantia potens cogitare.* Quam vere ille ita nugaretur, haec tenus ostensum est, neque haec tenus ad illud responsum. An autem ita revera animam non definiat, ipse viderit, qui nihil in ea nisi cogitandi potentiam relinquit, quæ certe non particularis, sed generalis sive indefinita cogitandi potentia esse deberet: nisi mavelit, ut loqui eum audio, ratiocinandi potentiam loco cogitandi potentia substituere. Quę ego adhuc minus capio. Ratiocinari enim lato ambitu acceptū, idem est ac cogitare, seu ratione uti: stricte vero acceptum specialem cogitandi modum dicit, nimirum quo ex noto ignotum infertur. Cur autem anima à speciali cogitandi, h. e. ratiocinandi potentia describi magis debeat, quam à generali cogitandi potentia, siquidem per potentiam describenda sit, divinet qui potest. Excellentioris genii sunt quæ habet doctissimus D. Poiret in Cognitionibus rationalibus de Deo, anima, & malo, ubi lib. 2. Cap. 2. §. 2. ita loquitur. *Quod secundo loco est oppositum, ab ambiguo vocis cognitionis-*

gitationis sensa, qui modo generalior, modo specialior est, ortum dicitur. Etenim si ea voce variam perceptionis nostra ad varia objecta, puta modo ad corpoream modo ad spiritualia, ad terram, ad cœlum, ad Deum, ad nos ipsos, applicationem intelligere velimus, tunc quidem multas cogitationes, easque interruptas, in qualibet mente esse verum est: at hoc sensu nequaquam prolatum est mentis naturam cogitationem esse: neque enim est de ejus essentia in genere & confusus spectat, ut certo alicui objecto, percipiendo præ alio, applicetur, et si illa, cum natura sit finita, & omnia simul percipere impotens, necessario applicetur alicui ex omnibus illis, imo determinatius (quod ad formam specialiorem infra referemus) in certum unum præ aliis tendat. Quapropter ut per vocem cogitationis mentis natura non ambigue notetur, intelligenda est cogitatio, ut limitata quidem, quia omnia simul percipere non potest; at non sit determinata ad certum quid, quia nullum habet in quovis actu, ut res simpliciter conscientia, cum ullo objecto specialiori, imo ne quidem secum, quatenus in se ipsam reflectere posset, necessarium nexus. Et hoc sensu cogitatio generalius quid est quam priori, & unica in mente dici debet, est enim perceptio intima eorum, quaecunque ea sint, qua in illa sunt: nam ut objecta diversa sunt, ut etiam diversimoda percipientur applicatione, ad hoc unum tamen redeunt, quod sint perceptio, hoc est, cogitatio una, diversis modis variata. Res simili per facile comprehendetur, nempe certum, exempli gratia, cere frustulum quam plurimis figuris variari potest, naturam autem suam unam idcirco mutare dici non potest: siat ex trianguli rotundum, quod ratum, aut interno calore aliam quamlibet assumat figuram, eadem natura tamen permanet ac persistit. Eadem prorsus ratione una fixa manet mentis natura cogitatio, diversitate objectorum, & applicatione sui ad ea subinde mutabilis.

XXXV. Ita argumentum nostrum pro perpetua mentis humanae actuositate vindicavimus. Quibus licet possemus acquiescere, lubet tamen in honorem veritatis alia quedam argumenta priori illi nostro, quod hactenus asservimus, superaddere; qua desumemus à triplici potissimum capite. 1. ex natura actus & potentiarum. 11. ex natura mentis quatenus est spiritus. 111. ex ejus unione cum corpore. I. Notissimum est natura, nullum effectum superare suam causam, neque plus esse in effecto, quam in causa. In mente autem nostra notum est, si non semper, plerumque tamen est: & ab ea profluere actuales cogitationes. Jam vero ulterius notum est, illud quod actu est, plus esse, quam quod potentia duntaxat est, cum, ut antea observavimus, esse potentiale proprie nihil sit. Cum vero mentem duntaxat definiant aliter sentientes cogitandi potentiam; dicant mihi veniam,

lim; quomodo mens, quæ cogitandi potentia duntaxat est, actum cogitandi producat? an potentia mera cogitandi producet cogitandi actum, cum actus ille potentia major sit, adeoque illius vires superet, ut si à potentia mera producendus sit, haec tenus à nihilo sit? Ostendant ergo, à quo principio actualis cogitatio in mente profluat. Non à nihilo, ut notum: non à solo Deo immediate, anima enim inter causas secundas est principium suarum actionum: non à corpore; illud enim principium cogitandi non est: non à mera cogitandi potentia, illa enim actum producere non potest, contradictorium enim est meram potentiam actuare aliquid, secundum jam dicta. Superest ergo solus cogitandi actus, sive substantia cogitativa actuosa, à qua omnes cogitandi actus proveniant.

XXXVI. 11. Hoc argumentum confirmemus alio ad hominem dicto, ut loquuntur. 1. Secundum Aristotelem, cuius principia nunc Philosopho nostro, ceteroquin, ut videri vult, Eclectico, arrident, materia & forma idem habentur & unum quodammodo sunt, hoc discrimine duntaxat, quod materia potentia sit, forma actus. Metaphys. l. 8. c. 6. Inde materia nullus tribuitur actus, nisi entitativus duntaxat, qua solummodo existat. Optem ergo doceri, quomodo mens humana, quæ forma hominis à nostris adversariis esse supponitur, mera sit cogitandi potentia, & non actus. Debet ergo ipsa esse actu, corpus vero humanum potentia illius ratione. Actus autem formalis, sive qualis forma est, non tantum entitativus esse debet, ille enim convenit quoque materie, multo magis corpori: ergo operativus h. e. cogitativus quoque sit necesse est. Quod probandum erat. 11. Idem quoque ex iisdem fundamentis assertur, quatenus mens humana habetur pro anima corporis humani & vitæ animalis principio. Animæ enim omnis, uti notum ex Aristotelicis principiis, est actus primus corporis organici, potentia vitam habentis. Aristot. lib. 2. de anima Cap. 1. Mens ergo actus est corporis humani: non vero entitativus tantum, talis enim actus ipsum quoque corpus est: ergo alterius & superioris generis, operativus nimirum, ut volumus. Hoc nisi admittant, mens humana spiritus quidam informis, ut ita dicam, erit, certe qui formæ animæque officium corpori nullo modo, ut supponitur, exhibere poterit. Actuare enim non poterit, sive corpus, sive hominem, quoconque modo illam formam ac animam hominis esse concipias, nisi cogitando. Quomodo vero illud efficeret, cum ipsa non cogitandi sit actus, sed potentia dun-

taxat

taxat, aliunde actuanda? 111. Aliud argumentum ejusdem generis adjiciam. In schola Peripatetica, quam sequitur hic D. Opponens, potentiae sunt qualitates, præcipue potentiae operandi; qualis operatio est cogitare. Animæ vero humanæ essentia, iuxta nostros, consistit in potentia cogitandi. Ergo in qualitate. Vide quo essentia mentis humanæ apud hosce Philosophos, si schola Peripatetica principiis convenienter loqui velint, non recidat. Quid magis inauditum item & novum, & quis ita unquam instituit, nisi illos excipias, quibus mens est modus corporis? qui quantopere à qualitate differat, me subtiliores viderint. Et ne hasce nostras duntaxat conjecturas quis esse putet, præterquam quod ex Tileno id superius §.xxxii. probavimus, vide ipsum Antagonistam nostrum in Logica compendiosa, parte 1. ubi, cum §. 3. num. 2. categorias recensuerit, dixissetque harum unam esse substantiarum, novem accidentium, quæ sunt, *quantitas*, *qualitas*, &c. subiungit §. 5. qualitatem; cuius quatuor vulgo statui dicit *clases* (nec illas ullo modo improbat) potentiam naturalem &c. hujus autem exemplum dat *potentiam ratiocinandi*, in spiritu. Potentia ratiocinandi ergo (hoc enim vocabulo uti solet loco potentiae cogitandi) Opponentis nostro est *qualitas*, est *accidens*: & tamen in annexo §. 3. num. 1x. diserte negat, se *statuere potentiam eam* (cogitandi, ut ego dixeram, ratiocinandi, ut ipse diceret) *ab anima essentia distinctam*. Spero mentem ejus saniorem esse ac verba quæ adhibuit, quæ tamen diserta & plana sunt. Animæ ergo essentia, cum à cogitandi potentia non sit distincta, *qualitas erit*, & *accidens*. Da rimam evasionis. Hoc modo contra Novatores certandum est. Horreo hæc legendis vidensque, & mecum horriturum credo omnem lectorem, cui gutta melioris sanguinis sub lœva papilla salit. 1v. Accedat hisce denique, quod nullus omnino habitus sine actu concipi possit, ut superius ostensum est, & res ipsa docet. Facilitas enim ad agendum, qui est habitus, actum omnino præsupponit. Quæ autem agendi facilitas in mente, ubi nullus actus est, neque in illo statu mentis infantili, sive intra uterum maternum, sive extra eum agat, esse potest ubi omni cogitatione caret, ut ipsi opinantur? Concipte ergo habitum labis congenitæ in mente, quod ipsi volunt, & dic nihilominus, illam esse meram cogitandi potentiam, in qua nullus est cogitandi actus, nedium habitus, & ostende modum quo hæc duo secum convenire queant.

XXXVII. 111. Ascendamus ulterius, & argumentemur ex ipsa veritate

ritate & animæ natura , sive eam consideremus in sua natura separatim , sive prout unita est corpori. In se separatim considerata mens , sicut tota natura diversa est ab extensione , imo illi opposita & contraria , ita ut distincte & complete , sive quantum sufficit ut habatur pro re completa , intelligi possit , sine omni extensione , & vicissim ; ita certum est , nihil relinqui quod ad naturam ejus pertineat , quam cogitare , quemadmodum nihil superest , quod naturam corporis constituat , nisi extensum esse. Sicuti autem corpus ut tale concipi non potest , nisi supponatur actu extensum esse , ita & mens concipi non potest nisi actu cogitans. Modi enim arguant naturam suæ substantiæ . Extensionis modi arguant extensionem sic actu modificatam , sine quibus modis extensio existere non posset. Ita & cogitationis modi , sine quibus substantia cogitans actu non existit , argunt illam actu cogitare. Ne quis enim opinetur , sufficere cogitationem potentiam , obstat quod omne quod existit , actu debeat res quædam esse , non vero potentia duntaxat ; quod enim potentia duntaxat est , re ipsa , ut diximus , nihil est. Mens ergo , si existat , actu cogitare debet. Cogitandi enim mera potentia nihil actuale ponit in genere cogitationis , quam tamen solam ad mentis naturam requiri ostendimus ; adeo ut , si existere debeat qua mens , certe actualis cogitatio ad ejus actualem existentiam requiratur. Secus dabitur actus illius entitativus , qui natura & essentia specifica careat : mera enim potentia actualem nullam essentiam constituit. Consentit hisce & efficaciter hæc proponit doctiss. Poiretus Cogit. rational. l. 2. c. 3. §. 5. Certum est , inquit , Mentis rem sive substantiam , sive naturam , non esse cogitationem , si vel per momentum mens sine cogitatione existit. Sed negamus mentem à quo est creata unquam fuisse non cogitantem ; etenim cum non sit nihil , cogitationem si tollas , nil superest quod de ea affirmes ; adeoque hoc ipsa eam in nihilum redigis. Quid enim cogitatione sublata restat quod menti assignes , in primis tanquam ejus essentiam ? Facultas cogitandi , dices. Bene , si per facultatem illam intelligas potentiam determinandæ cogitationis existentis ad varia objecta : sed hoc ipsum dicit cogitationem actu esse , quod enim non est , determinari nequit à se aut ab alio. Et si eo velis mentem cogitatione actuali destitui , posse vero certo tempore , aliquave occasione eam recuperare , in significantia loqueris. Nam quodlibet existens aliquid actu possidet , aut ipsum est nihil : nec satis est potentia possidere , cum illud nil re ipsa possideat , quod sola potentia , qua actu excludit , aliquid possidere dicitur. Afferere vero mentem actu possidere ipsam cogitandi facultatem , idem esset ac si de corpore affirmaretur ,

tur, id extensionis facultate, non autem extensione ipsa esse præditum. Quippe notandum est omnem facultatem supponere aliquid reale & existens actu, in quo illa residueat, nisi libeat ipsi nihilo facultates tribuere: & quid aliud est facultas si in re ipsa extra conceptum spectetur, nisi ipsa res variabilis? quid est in corpore facultas recipiendi figuram, nisi ipsa extensio, quatenus varie terminari apta est? quid facultas cogitandi, nisi ipsa cogitatio, quatenus ad varia obiecta, & varius modis, potest applicari? An aliud in re ipsa concipi potest? aut illud si concipiatis, efferi in verbis qua aliquid certi aut clari significant: certum enim est nil diversi sine nugis allegari posse.

XXXVIII. **¶v.** Idem quoque ex vita mentis humanæ arguitur. Mittamus nunc ineptam questionem, an vita mentis & corporis eadem sit, cum utraque illa vita tunc celo distet. Hoc certissimum, mentem vivere, & quidem quatenus mens sive spiritus est, vitam spiritualem, qua à brutis aliisque rebus corporeis differt. Vita autem omnis in actu, sive actuatione, ita nunc loquamur, ex principio interno proveniente, consistere creditur. Ita vita plantarum describitur actu, sive motu succi alimentarii, vita bestiarum actu, sive motu partis sanguinis purissimi, vita mentis & spiritus actu cogitandi. Neque aliter vita quam per actum concipi potest. Quod vel pueris notum, qui rem moveri videntes, nec principium motus illius animadvententes, illam vivere clamant. Ita quo major in re aliqua motus, actus, aut actuositas, ut E. G. in pueris praesenibus, eo major ipsis tribuitur vita. In vita ergo omni semper actus aut motus est. Jam vero nihil æque vivit quam spiritus, qui proprio principium motus, sive potius actuationis, in se ipso habet, & ex se actuosus est; quod nulli corpori convenit, licet ex præjudiciis aliter opinemur. Non potest ergo à spiritu tolli cogitatio, qua illius actus & vita est, nisi animæ vitam extingtam & abolitam velimus. Quod argumentum pariter procedit ex Peripateticorum hypothesi, qui vitam quoque non in sola actuandi semetipsum potentia, sed in ipsa actuatione posuerunt. Ita enim *Aristoteles* ipse vitam actione definit, dicens lib. 2. de anim. c. 1. §. 3. ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν διὰ αὐτῆς τροφήν τε, καὶ ἀνέπαθητικόν, καὶ φθίσιν. Vitam autem dicimus, qua per ipsum sit nutritionem, augmentationem & diminutionem. Ita & solidissimus Theologus Ioh. Meisterzatus Sermone 1. in 1. Epist. Johannis: Sed quid est vita? Est principium internum se movendi & agendi & fruendi bonis naturæ sua convenientibus. Dicimus enim creaturam habere vitam, quatenus se moveat; quando vero non amplius motum habet ex ipsa & non amplius frui potest ullo bono, mortu-

92

am illam dicimus. quid clarius? Ita autem vitam animæ attribuit Aristoteles, quando ipsam ἐνέλεχειαν appellat. Latini *actum* dicunt. v. lib. 2. de anima c. 1. & Conimbric. ibid. quæst. 1. art. 5. Ita præclare Augustinus utramque hominis vitam, corporis nimirum & mentis distinguit, & hanc insuper in perpetua actione consistere testatur, Lib. 10. de Trinitate cap. 3. ubi de mente humana loquens, dicit: *Quid ejus ei tam notum est quam se vivere? non potest autem mens esse & non vivere sicut mens tota est, sic tota vivit, norit autem vivere se.* Et deinceps: Ergo quoniam manifestum est esse te, nec tibi aliter manifestum esset, nisi viveres, id quoque manifestum est te vivere; intelligis ista duo esse verissima? Et aliter: *Sic ergo se esse & vivere scit: quomodo est & vivit intelligentia.* Alia ejus dicta insuper citat præstantiss. Forgeus, quæ brevitas causa omittimus. Obsignabimus hæc eximiis verbis Doctiss. Poineti, Cogit. rational. I. 3. c. 2. §. 1. Alias vocis hujus, *vita nempe, significaciones, præsertim qua in rebus corporeis obtinet, relinquo: nec jam ad illam nobilissimam attendo, qua est, cum cogitatio mea ad gradum perseveracionis sua summum adducetur: sed de illa ago, qua menti est naturalis, nec aliud per eam video posse designari, quam cogitationem, sive, actu esse consicum, ad quam cetera qua illa carent si comparentur, mortua dici possunt.* Hinc de eo quod supra adduxi, nempe mentem semper cogitate, magis magisque persuaderor: nam cum mentis natura vivens sit, ergo natura sua est actualiter agens, (latiori sensu, qui passionem vividam includit) cum viventem esse, sit agere, & vita non sit **FACULTAS**, sed **ACTUS**. Quid autem est, præterquam cogitare, ob quod agere dici possit? Ad facultatem quod attinet, quod sola facultate sive potentia vivit, id actu mortuum est, nec vivens dicitur: neque etiam facultas pro vita sumi potest, nec distinguenda mente, quatenus hæc est & existit, nisi mentem fatearis rem esse in se mortuam & brutam. Quæ de animalium quorundam vita sopita allegari possent, ad hanc rem nihil attinent.

XXXIX. v. Accedit hisce, quod si mentis, omnisque adeo spiritus, naturam alia in re quam in cogitatione actuali colloces, & loco ejus cogitandi duntaxat potentiam relinquas, ita ut omnis omnino cogitatio ab anima abesse possit, revera animæ vitam tollas, eamque brutam quasi & omni vitam cassam, adeoque mortuam reddas, quin & revera aboleas. Absit enim ut vita illa spiritualis, quæ spirituum est & in cogitando consistit, eadem sit cum vita animali & corporis, quæ sanguinis spirituumque figura & motu perficitur. Contra vita spiritualis, omnisque intellectus sine cogitatione concipi non

poteſt : ſepara ergo ab anima omnem cogitationem , & quid quæſo
vitæ, imo quid ſubſtantia, in illa ſuperſtes erit? Plane ac ſi à corpore
removerem omnem figurā & extenſionem, & meram potentiam ad
extenſionem in eo relinquerem, an non eo ipſo ipſa corporis eſſentia
tolleretur , cum in corpore nihil aliud concipiā quam actualem
extenſionem ; quemadmodum ab altera parte in ſpiritu actualem
cogitationem, & nihil ultra, concipio? Illa porro omnis cogitationis
actualis ceſſatio & abolitio in mente, aut ab ipſa proveniet, aut à cor-
pore. Si à mente, ſiet illud aut defectu potentia cogitandi, aut voluntatis
ipſius. Non potentia, illa enim ipſi denegari non potest, cum ipſa
definiatur cogitandi potentia : non voluntatis , eo ipſo enim dum à
cogitando ceſſare vellet, jam cogitaret : quam cogitationem abolere
non posſet , niſi per novam cogitationem , & ita proceſſus in infini-
tum erit , & mens dum à cogitando ceſſare volet, in æternum cogi-
tabit. Non enim simplex cogitationis ceſſatio , ſine voluntatis
novo actu concipi potest , cum ſic mansura ſit prior cogitatio ,
quæ novo cogitandi actu diſcuſſa non eſt. Unde obiter quoque
videre eſt, quomodo mens ex quo ſemel cogitare coepit , in
æternum cogitare perfeveret, adeoque cogitandi actus , cum illo ſibi
ſuccedentium cogitationum nexu, ipſi eſſentialis ſit. Vide de hiſce
Forgeum de Spiritu hominis Cap. 6. Si vero à corpore proveniat
quod mens, ſive in infantie, dum in utero hæret, ſive in adultiore ho-
mine, omni omnino cogitatione privari poſſit, uti volunt ; quis non
ipſam mentis naturam & eſſentiam à corpore dependere credat, cum
per illud ſtet, quo minus illud quod menti eſſentialē eſt , illi adſit aut
deſit? Quod ſi fieri poſlit , quid proclivius eſt inde conceptu , quam
mentem eſſe modum corporis, quæ à corpore dependeat, illiq; innixa
ſit, imo illi inhæreat ? ita ut illa cogitandi potentia , cum actum per-
petuum cogitandi non habeat ſibi ſubſtratum, ſubſtratum ſibi habeat
corpus, cui iſiſit, & à quo dependeat ut exiſtat nec ne , adeoque cu-
juſ modus ſit. An hæc cum intricate illa & incomprehensibili phi-
losophatione non melius conveṇiant , quam fingere potentiam co-
gitandi ſine ſubjecto omni (neque enim illud dare potuerunt) juſcet
quivis, cui pepo non eſt cordis loco. Hac autem ratione de mentis
à corpore reali diſtincione , adeoque de ejus veritate actum eſſet.
Quæ inferna opinio , religionis omnis certiſſima pectiſ ac exitium,
quantum ex confuſis hiſce conceptibus præſidiū hauriat , videre
quivis, niſi qui blennius eſt, poterit.

XL. Ab alia parte cum beſtiis tribuatur anima cognoscens & per-
cipiens.

99

cipiens, quæ tertia sit substantia, à corpore & que ac mente nostra distincta, nulla est ratio cur non illa simul immortalis sit, & que ac mens nostra, quæ revera inde immortalis est. Nulla enim alia ratio, nullum indicium est, cur res una ab alia distincta sit, adeoque separatim existere possit, quam quod toto genere ab ea differat, & in illius conceptu ac natura non involvatur. Nulla vero major essentia distincta est, quam extensum esse & cogitare, quæ non tantum à se invicem præcidi, sed & revera negari possunt. Quod nullum ex adversariis inficiaturum credo. Bestiis vero si conveniat perceptio, certe etiam iis conveniet cogitatio: quid enim est percipere, nisi cogitare, sive illud per sensus fiat, sive pura intellectione? cuius rei quisque sibi testis est, se & que cogitare, sive mente quid ex domestica penitus percipiat, sive per sensus illud hauriat: eademque erit brutorum ratio, si in sensu illorum ultra corporeum motum adsit perceptio: illa enim sine cogitatione concipi non potest, cum substantiae rerum sint indivisibilis, & perceptio aliter concipi non possit: ita ut graduum forte hic aliquod discrimen esse queat, nullum vero ipsius speciei. Adeoque brutorum animæ ita percipientes & à motu corporeo distinctæ (præter motum enim organorum, perceptionem in ipsis esse volunt) à motu corporeo non dependebunt, sed illo cessante nihil minus superstites erunt: quod negari nullo modo potest, cum illorum animam substantiam tertiam esse nostri velint. Quod autem tertium est, alterius generis & realiter à corpore distinctum, id certe ab eo separari potest, adeoque seorsim existere, & ita natura sua immortale erit. Non sine admiratione, ut omnia ferme, lego D. Opponentem in contrarium, ut probet substantia à materia distincta integrum à dissolutione totius absolute pendere posse, adducere Cartesium in respon. secund. §. 7. ubi Philosophus diserte probat ex distinctione mentis à corpore, mentem, quantum ex naturali philosophia cognosci potest, esse immortalem: sed si de absoluta Dei potestate queratur, an forte decreverit ut humana animæ iisdem temporibus esse desinant quibus corpora quæ illis adjunxit destruuntur; solius est Dei, inquit, respondere. Cumque jam ipse nobis revelaverit id non futurum, nulla plane vel minima est occasio dubitandi. Ex quibus sequitur, juxta Cartesium, supposito brutorum animam esse substantiam tertiam, illam, quantum ex naturali philosophia cognosci potest, esse immortalem. Cum enim destructio corporis brutorum non involvat annihilationem animæ ipsorum, substantia, ut supponitur, à corpore eorum realiter diversa, non putandum est,

illam quoque desinere , nisi certissimis experimentis & rationibus id conser : quæ cum deficiant , illam perennare credendum est . Hæc Cartesii in hisce mens & rationis ipsius vis est : & tamen contrarium ex hisce verbis Opponens noster elicere conatur . Ut vel hinc apparet , qua fide aut judicio Antagonistæ hi Cartesium citare soleant , quoties tam inclementer in eum declamant , & opiniones ejus tam violenter detorquent & mundo deridendas vel detestandas propinuant . Hoc autem quod brutorum anima *natura sua immortalis* sit , & que ac mens humana (sicuti hisce vocibus usus eram , de illius immortalitate loquens) adeo ut non nisi per singularem voluntatem Dei annihilari possit , cuius annihilationis nullum in natura est exemplum , adeo absurdum & periculosum est , ut ad illud contremiscam , & mirari satis non queam , aut non videri ab adversariis , hoc ex illa hypothesi de substantia tertia , quam ponunt inter spiritum & corpus medium esse posse , imo esse , immediate sequi , aut si videant , illud nihilominus ab illis statui . Et hæc , ut hic id nunc obiter dicam , vera erat causa , cur juvēne illo tam crude afferente , dari posse substantiam tertiam inter spiritum & corpora , imo dari illam in brutis reapse , horruerim , & heterodoxum illud judicaverim , quod testimonio condecorare non poteram , cum immediate , ut alia mittam , inde sequatur animarum brutorum immortalitas ; sicut ex altera parte , separata à mente omni cogitatione , ejus mortalitas sive interitus ponitur . Quæ an in Theologo toleranda sint , quivis judicet . Chalibœum est acumen , quod velit *brutorum animam à sanguine distingui* , cum Deut . 12:23 . metonymia tantum sit locutio , ut docetur *Lexit* . 17:11 . nisi *sanguis sit in sanguine* . Sed cum bestiarum anima consistat in artificiose dispositione partium corporearum , sanguinis nimirum & spirituum , sive in motu partis sanguinis purissimæ , quemadmodum plantarum vita consistit in motu succi alimentarii , nulla omnino est contradic̄tio , si sacra pagina uno loco testetur , *sanguinem ipsum esse animam* , & alio loco *animam carnis* , nimirum brutorum , in *sanguine ipsam esse* : cum enim in illo sanguinis purissimi & spirituum motu anima corporea consistat , certe sanguis ipse est anima ; & cum ille purissimus sanguis in reliqua sanguinis massa continetur , hactenus etiam propria locutione , sanguis in sanguine est , purissimus ille in reliquo : licet ceteroquin idem sit , sive brutorum anima sanguis illorum esse dicatur , sive in sanguine illorum , cum res eodem redeat , quod nimirum anima & vita illorum in motu sanguinis

nis consistat , nullo vero modo ut substantia tertia concipienda sit.
Et hæc obiter ad consecutarium , quod de anima brutorum ex illorum
inauditis dictis elicueram . Cum enim D. Opponens argumentum
illud de brutorum anima declineret , alegans me ad suas de hac re
disputationes , mihi non lectas , ulterius mihi id prosequi non lubet :
nendum , cum ipse nihil probet , imo vix respondeat , ulterius probare
lubet quinque quas proponit probandas assertiones , quibus tanquam
totidem questionum & erotematum machinis murum sibi objectum
quatere nititur ; quanquam non leviter plerasque earum , si non o-
mnes , ex hac tenus dictis probatas censeam.

XLI. vii. Aliud argumentum dabit collatio naturæ mentis , ita
in se se consideratæ , cum Angelis , ad quos proxime accedit . Notum
est Angelos semper actu intelligere . Observatu digna hic sunt verba
Thomæ in Summa part. i. q. 79. art. 10. ubi refert , in quibusdam li-
bris de Arabicō translatis , substantias separatas , quas nos Angelos dicimus , In-
telligentias vocari : forte propter hoc , quod hujusmodi substantia semper actu
intelligunt . Jam vero notum est , Angelos & mentes humanas , quod
ad intimam essentiam (qualemque sit inter illa duo ceteroquin di-
scrimen) ejusdem esse attributi , nimurum quod sint res cogitantes ; ut
apparet in anima separata , quæ instar Angeli subsistit , nisi quod exter-
nam relationem , & denominationem habeat ad corpus & à corpore ,
cui unita fuit , cuique rursus unietur . hoc vero in intrinseca illius essentia
vihil mutat . Dent ergo , qui aliter sentiunt , causam , cur Angelus sem-
per actu intelligat , anima separata semper actu intelligat , sola vero
anima corpori unita non semper actu intelligat ? Hæc mutatio ne-
cessario à corpore provenire debet . At vero impossibile est , cor-
pus , rem menti extrinsecam , essentiam illius , quæ in cogitando con-
sistit , tollere posse , manente ipsa . Actu ergo intelligit anima semper
dum est , sive separatim , sive in corpore existens , quamcumque mu-
tationem , aut etiam remoram , cogitationibus illius inferat & injiciat
corpus . De hisce porro agemus inferius §. XLIX.

XLII. viii. Quin etiam hoc facit mentis humanæ cum ipso Deo
Opt. Max. collatio . Ego enim non mirari non possum , quibusdam
actualem cogitationem in mente displicere , cum planum sit ipsam
Dei essentiam non aliter concipi posse . Recte D. Amelius Medull. l. 1.
c. 4. §. 35. *Actio vitalis Dei est ipsius essentia* . Potest ergo dari actio & co-
gitatio substantialis . In Deo enim cogitatio accidentalis locum non
habet , nendum ut illa Dei essentiam constituat . Cur non ergo illud in
spiritu

spiritu omni & mente humana locum habeat , quæ ad Dei imaginem creata est , quæque Deum maxime refert , & proxime ad ipsum accedit . An vero eripienda est Deo vis creandi substantias nobilissimas ipsi- que simillimas , actus nimirum substantiales , sicut ipse actus purus est ? Actum enim merum substantiam constituere posse in Deo Opt. Max. manifestum est . In creatis spiritibus , quæ illorum est imperfectio ; actus ille non purus est , utpote multum potentia omnigena admixtum habens , hoc tamen non tollit quin maneat actus substantialis .

XLIII. viii. Denique ut in nos ipsos descendamus , quid ipsi aliud in nobis deprehendimus ? an aliud percipimus , aliud in nobis ani- madvertimus , quam actum , aut potentiam talem , quæ ex actu na- scitur & ad actum refertur ? quid aliud deprehendimus in nobis , ubi sentimus , ubi intelligimus , ubi volumus , ubi corpus nostrum im- pellimus , aut ab eo vicissim impellimur ac patimur ? Cur ergo aliud in anima concipimus ? Et frustra quis dicat , aliud quid insuper esse in mente nostra , præter substantiale illum cogitandi actum , quod es- sentia ejus fundum constituat , sed nobis incognitum . Cum enim ad animæ essentiam , opposite ad corpus , cogitatio unice faciat (missum nunc faciamus , an actualis , an potentialis) & illa in eo consistat , quod cogitationis nostræ nobis simus consciæ ; quælo , quomodo con- cipi potest , mentem quæ sui ipsius sibi est consciæ , sibi consciæ non esse illius quod in ipsa maxime essentiale est , quale quid hic supponi- tur , cum nulla omnino in mente nostra sit facultas , nullus actus , quin illius sibi consciæ sit , ubi eam habet aut exercet ? Ita enim recte Cartesius in quartis responsionibus hæc diffindit : *Nonandum est actuum quidem , sive operationum nostra mentis nos semper actu consciæ esse , facultatum , sive potentiarum non semper , nisi potentia ; ita scilicet ut cum ad utendum aliqua facultate nos accingimus , statim , si facultas illa sit in mente , faci- mus ejus actu consciæ , atque ideo negare possumus esse in mente , si ejus consciæ fieri nequeamus .* Nunquam ergo mens sibi consciæ erit illius suæ es- sentialis naturæ , à qua omnes ipsius operationes profluunt , quarum sibi est consciæ , quæque adeo citra conscientiam ab illo interiori ejus principio promanare non possunt ? illud principium jugiter in opus deducet omnes mentis facultates , adeoque maxime operativum erit , & tamen minime homini cognitum ? Quanto rectius illud Pauli huc quadrabit 1. Cor. 2: 11. *Quis hominum novit illa quæ sunt hominis , nisi spiritus hominis qui in ipso est ?* quod & illustrat à spiritu Dei , qui solus no- rit illa quæ Dei sunt . Exigua autem est hæc notitia , si hominis spiritus

non

non noverit illud quod maximum in ipso est, propriam scilicet essentiam suam. Sed ita consequi necesse est apud eos, quibus illud placet, corpus omne notius esse spiritu : cum tamen spiritus intime sibi sit conscientiauarum actionum & potentiarum ; qui etiam nullum corpus cognoscere potest , quin eo ipso se ipse cognoscat multo magis. Sed demus Deum intimam mentis essentiam ita abdidisse in ea , ut ipsi non sit obvia, ipsaque sua ipsius essentiae sit ignara, hoc saltem in genere cognosci potest, illud occultum non esse corporeum quid, sed spirituale : & rursus , cum in omni spirituali nihil deprehendamus quam cogitationem , ad illam devolvemur : illaque adeo vel potentialis erit, vel actualis cogitatio. Et ita redibit dilemma bis jam à me propositum, at cui ne semel satisfactum est, imo quod in Annexo D. Opponentis vix, nisi ex parte tantum , repetitum est, nedum ut illi satisficeret. Verum in hisce fallimur falsis præjudiciis. Sicut multa nobis videbimus cognoscere quæ revera non cognoscimus, ita ab alia parte quædam nobis videntur incomprehensibilia , quæ jam revera cognoscimus, aut cognoscere saltem possumus. Inter quæ etiam est ipsa mentis natura. quam per scholarum placita & notiones secundas ita nobismet proponimus , ut veram illius naturam & notio- nem primam ignorare nobis videamur : cum tamen quisque , qui in semet ipsum descendit , & attente mentem suam considerat , natu- ram & essentiam ejus qualis in se ipsa est (obscurius enim est, quo- modo corpori unita & quasi mixta sit) ex semet ipso optime discere & haurire possit. Mens enim nihil omnino in rebus aliis extra se cognoscit, quin eo ipso semetipsam multo magis cognoscat, uti egre- gie illud ostendit Cartesius in Respositionibus quintis , exemplo ceræ cognitæ ; unde clare colligi docet , nullius rei tot attributa cognosci, quam nostra mentis, quia quotunque cognoscuntur in qualibet aliare , tot etiam numerari possunt in mente, ex eo quod illa cognoscat , atque ideo ejus na- tura omnium est notissima. Hoc ipsum quoque planissime asserit, citante Forgeo , Augustinus , libro de spiritu & anima , hisce verbis : Mens ergo cui nihil se ipsa præsentius est, interior , non simulata, sed vera præsen- tia videt se in se ; Nihil enim tam novit mens quam id quod sibi præsto est ; nec magis menti quicquam præsto est , quam ipsa sibi ; Nam cognoscitur se vivere, se meminisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire , judicare ; hac omnia novit in se , nec imaginatur , quasi extra se illa aliquo sensu corporis tetigent, sicut corporalia queque tanguntur, ex quorum cogitationibus nihil sibi affingat, ut tale aliquid se puto. Quicquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est, nihil

enim tam in mente est, quam ipsa mens, nec quicquam sic mentem novit, quemadmodum mens. Cum enim querit mens quid sit mens, profecto novit quod ipsa sit mens qua se ipsam querit. Nec aliunde se querit quam se ipsa. Quum ergo querentem se novit, se utique novit, & omne quod novit tota novit, atque ita totam se novit. Et si forte parte inventa non se totam querat; quia tamen se tota querit, tota sibi præsto est, nihil enim sibi se ipsa præsentius esse potest. Quod vero aliter factum a multis, quodque iis quæ omnes in spiritu nostro deprehendimus, contenti esse noluerint, sed alia insuper iis afluxerint, provenit à conceptu corporeitatis, qui illos occupavit: quo factum est, ut spiritum tanquam rem mere actuosam aut operantem non conceperint, & genuinum conceptum substantiæ immaterialis sive spiritualis non formaverint, sed sub corporea notione illam sibi representaverint, concipiendo omnem substantiam tanquam extensam, plus vel minus: ita ut quæ crasse extensa est, corpus sit & materialis; quæ minus, sit immaterialis & spiritus. Ut reipsa, licet verbis id a se amoveant, spiritum tanquam subtile corpus conceperint. Hinc factum, quod actuosa spiritus natura non contenti, substratum aliquod & subjectum requisiverint, sive illud esset potentia cogitandi, sive ignotum aliquid, sive confusum substantiæ nomen, aut aliud quid, quod ipsi neccum satis protulerunt: plane ad instar corporis, cuius operationibus & accidentibus hujusmodi substratum, nimurum extensem quid, subjiciendum esse, quia ipsum actuosum non est ex se, novimus. Cum abstrahendus esset ab omni corporeitate, adeoque ejus conceptu, spiritus, & mera actuositate, operatione & cogitatione circumscribendus.

XLIV. ix. Progrediamur ad naturam animæ, quatenus unita est corpori. Anima nimurum, uti in confessio est, infundendo creatur. Simul ac ergo creatur, infunditur in corpus, & cum illo unitur: simul ac autem unitur corpori, per leges unionis afficitur à corpore, & viceversa illud afficit. Cum ergo perpetuo ita afficiatur, dum vinculum inter ipsam & corpus manet, perpetuo quoque in actu est, & per consequens non potest mera potentia exhaustiri. Cessante enim hac affectione illius à corpore, cessat quoque ipsa unio, & per consequens mortuus est homo; cuius imago est in exstasi, lipothymia, similibusque passionibus. Hoc argumentum efficacissimum judicabit, qui ad mentis naturam recte attenderit. Illa enim cum spiritus sit, non potest aliter corpori uniri, vel ei præsens esse, (nisi velimus ipsam liquoris aut fermenti instar misceri corpori) quam modo natu-

ra sua congruo, scilicet ipsum corporis, vel aliquid quod corporis sit percipiendo, sive intelligendo, & volendo: imo non simpliciter percipiendo, hoc enim nauta quoque facit, ravi duntaxat allistens, & si quid in illa rumpatur, percipiens, sed percipiendo confusis illis percipiendi modis, qui sensus appellari solent, & juxta eos appetens voluntasque quae ad corporis incolumentatem faciunt. Ita ut vel neganda sit anima cum corpore infantili unio, vel illa admissa cogitandi actus necessario admittendus.

XLV. x. Præterea, si essentia mentis in sola potentia cogitandi consistat, manebit essentia mentis illæsa, licet vel nunquam cogitaret. Neq; absurdum tum erit, animam tanto tempore, ab unione nimirum usque ad aliquot à nativitate menses, omni operatione destitui: imo innumeros homines è corpore abire, qui nullam omnino mentis suæ in corpore operationem exeruerunt, quotquot nimirum abortu in utero pereunt, aut in prima infantia moriuntur. Imo non poterit probari ex natura, hominem post mortem cogitare. Licet enim Noster inferius tam subtiliter distinguat inter statum animæ separatae & conjunctæ, hoc tamen nodum hunc non solvit. In unione enim manet natura animæ, adeoque unio eam non tollit: non laedit enim unio, aut faltem non abolet ipsius actuositatem, nec impedit corpus actus animæ, faltem eos qui à corpore non dependent: quo maxime referenda est cogitatio. Aut ergo in corpore semper actu cogitat anima, siquidem id faciat extra corpus: aut si illud non fiat in corpore, utique neque extra illud fieri credendum est.

XLVI. xi. Huc denique facit argumentum desumptum à propagatione vitiositatis congenitæ per concupiscentiam, juxta Augustinum, & post eum juxta scholasticos, præcipue antiquiores, Petrum Lombardum, Bonaventuram, Thomam, Gregorium, alios, qui animam à corpore corrumpi docuerunt: sicuti Innocentius 111. loquitur in Psal. 50. id est, 51. Quoniam & creando infunditur, & infundendo creatur. Sicut enim ex vase corrupto liquor infusus corrumpit; & pollutum contingens ex ipso contactu polluitur; sic ex contagio corporis anima corruptur & fœdatur. Et Urbanus Quartus accuratissime Augustinianæ doctrinæ trahitem tenens, ita in eundem locum commentatur: Sic & homo ille (primus) in se omnes de stirpe sua venturos, occulta tabe & fœditate sua libidinosa concupiscentia adeo tabescavit, quod anima à te, Deus, creando infusa corpori taliter labefacta maculatur, polluitur, & fœdatur: sicut in vase non sincero vinum infusum, licet optimum, inficitur & acescit. Illa vero anima à corpore corruptio aliter concepi non potest, quam

quod ex legibus unionis corpus animam afficiens, motibusque suis inordinatis abstrahens, illam, imagine Dei & justitia primigenia destitutam, in consensum rapiat; ex quo concupiscentia in anima, carnalibus motibus obsequente, nascitur; qua deinceps magis magisque corroboratur: unde illam corrupta vicissim in corpus agit, illoque ad impurorum suarum cogitationum & concupiscentiarum ministerium abutitur: eodem modo sicut vasis corrupti fetor virum sincerum inficit, non quiete & torpore, sed motu & agitatione, qua particule, fetorem vasi inferentes, vino permixta, & in eo agita-
ta, illud inficiunt: quemadmodum & vinum ita infectum, si vasi pu-
ro infundatur, illud vicissim eodem modo inficit. Eadem ratione
mutua actione corporis & mentis in se invicem originaria vitiositas
excitat, corroboratur & propagatur: quod non mero habitu aut
quiete peragi potest, sed maxima actuositate sanguinis & spirituum
ab una parte, animæ vero cogitationum ab altera parte conficitur.
Unde & perpetua animæ, ab ipsa unione corruptæ, actio, & actio-
rium illarum peccaminositas, in utero materno contracta, & ex acti-
onum peccaminosarum perpetuo exercitio peccandi habitus acquisi-
tus, pariter manifesta sunt: quemadmodum illa duo, nimirum infantium
cogitationes actuales, & illarum corruptio sive vitiositas, proban-
da hic erant.

XLVII. Lubet hæc omnia illustrare ex Nobiliss. Cartesii libro de Passionibus, ubi part. 2. Artic. 107. seqq. ostensurus causas passionum ex nexus inter animam & corpus, ita inter alia loquitur: *Viden-
tur mihi primæ passiones quas anima nostra sensit, cum cœpit corpori nostro jun-
gi, inde ortæ esse, quod aliquando sanguis vel alijs succus, qui ingrediebatur
cor, erat alimentum solito convenientius conservando ibi calori, qui principium
est vita: quod in causa erat ut anima sibi voluntate conjungeret hoc alimentum,
id est, illud amaret; & simul spiritus fluebant ex cerebro ad musculos eos, qui
poterant comprimere vel agitare partes ex quibus venerat ad cor, ut ipsi adhuc
amplius ejusdem generis submitterent.* Parili modo ostendit, quomodo
ab ipsa unione animæ cum corpore mox in illa natæ sint passiones o-
dii, lætitiae, tristitiae, cupiditatis, quæ sunt primigeniæ passiones. Ex
quibus duo hæc videre est. 1. quo pacto nihil magis sit adversum na-
turæ mentis humanæ, quam fingere illius essentiam in mera cogitan-
di potentia consistere, adeoque illam instar torpientis aut dormientis,
imo potius instar extinctæ ac mortuæ concipere, quæ à cogitando
cesset, & dum in utero agit infans, imo aliquot forte à nativitate
mensibus, ne unam quidem cogitationem formet. Quasi misera illa
anima

anima toto illo tempore ne semel potentiam illam suam in actum deducere aut possit aut velit. Cum ex adverso anima, quę ab initio unionis sui cum corpore ab illo afficitur, vi unionis, cogitationes & sensus confusos, quę passiones dicuntur, occasione corporis hauriat ac patiatur, multisq; modis ab illo, cum à rebus externis isto in statu affici non possit, afficiatur, & in ipso existentię suę principio illis cogitationibus, sensibus, passionibus aliisque impreissionibus imbuatur, quas deinceps toto vita & hospitationis suę in corpore tempore expertura est. 11. Quo pacto mens in corpore embryonis agens, & ab objectis externis seclusa, à solo vero corpore, cui juncta est, affecta, illique plane, ut ita dicam, immersa, nullasque nisi quas corpus illi suggestit cogitationes, sensus ac passiones experta, inde tota mancipetur corpori ac carnalibus illius motibus, illisque sese dedit ac abripiendam tradat. Cum enim iustitia originali careat, corpusque non idoneum, sed sibi grave ac incommodum nanciscatur (quale illud post lapsum in Adamo oborta concupiscentia factum est, & ab eo ad posteros transmissum) non potest ideas, quas innatas habet, exerere easque elicere, sed tota corporis motibus subjecta, & ab iis oppressa, inde carnalibus cogitationibus, desideriis ac passionibus, pro varia corporis constitutio- ne, tota addicitur; quae per omnem deinceps vitam, diuturno usū inolitę & in habitum conversę, illi adhærent; ita ut moraliter illi impossibile sit, nisi præveniente divina gratia, servitutem illam excutere, juri suo sese assereret, & libertati suę sanctioribusque cogitationibus sese tradere, ideasq; suas innatas à corporeis sensualibusque præjudiciis, ut ita loquar, plane extricare ac defæcare. Unde rursus magna panditur porta, ad actuales mentis in infantibus, imo in utero etiam materno, cogitationes, & simul actualem earum anomaliam, servitutem, carnalitatemque, omnis corruptionis fontem ac scaturiginem, introspicendiā & perlustrandam.

XLVIII. Unicum est, quod hisce obduci posset, quod nimis non meminerimus cogitationum, quas dum in utero materno fuimus, habuimus: unde etiam nullas nos tum temporis habuisse sequi videtur. Ad illam autem objectionem respondebo ipsis Cartesii verbis in Responsionibus quintis, Meditationibus adjectis, ubi ita loquitur: *Heres vero, inquis, an ego existimem animam semper cogitare? sed quidni semper cogitaret, cum sit substantia cogitans? & quid niri quod non recordemur cogitationum quas habuit in matris utero, vel in lethargico, &c. cum ne quidem recordemur, plurimarum, quas tamen scimus nos habuisse, dum*

efficiuntur adulti, sani & vigilantes. Ad recordationem enim cogitationum quas
 mens habuit, quamdiu corpori est conjuncta, requiritur ut quedam ipsarum
 vestigia in cerebro impressa sint, ad quae se convertendo sive se applicando recor-
 datur: quid autem muri, si cerebrum infantis vel lethargici vestigii istis reci-
 piendis sit ineptum? Adde quæ ad hanc rem habet egregia Doctiss.
 Poiretus Cogit. rational. l. 2. c. 3. §. 6. Fortassis vero continget, ut
 quidam ex iis, qui mentis naturam in cogitatione, qua semper adsit, ponit au-
 dirent, sibi imaginarentur hoc esse interpretandum de sublimibus meditationi-
 bus, aut discursibus, res hujus mundi, aut forte etiam spirituales, spectanti-
 bus: quibus cum defituantur infantes, etiam mentis natura sic privarentur.
 Verum enim vero nil opus est, ut cogitatio ad hec objecta & hos modos adstrin-
 gatur, cum perceptio immediata eorum quæ sunt in nobis non magis denotet
 meditationes ratiocinationesque exquisitas, quam sensus doloris, voluptatis,
 tristitia, amoris, aversationis, colorum, sonorum, saporum & similes, qui
 omnes in infantibus recens natis, & ex parte in nondum natis, ex occasione cor-
 poris, ejusque alimenti, oriri possunt. Neque necesse est ad hanc veritatem, ut
 mens meminerit se semper cogitasse, sive ut omnium quas unquam habuit co-
 gitationum sit memor, cum nec intellectualium ipsa meminerit, nisi & vivide &
 diu se se applicuerit. nam quod ad eas attinet, quæ cum corpore aliquem
 nexus habent, requiritur ad earum reminiscientiam, ut dum mens percipie
 aliquid, advertitque reflectendo super hoc pure & attente id sibi novum esse,
 utatur cerebro bene parato, firmo & tranquillo, ut vestigia hujus facile im-
 pressa constanter serventur. Quapropter non mirum est, si non infantes modo,
 sed & ipsi viri priorum cogitationum omnium non recordentur, cum nemo un-
 quam possit omnes unius hebdomadis aut diei enumerare, et si certus sit tem-
 pus illud cogitando impensum fuisse. Ex his ergo sequitur, actum quidem remi-
 niscientia omnium actuum cogitandi non esse mentis naturam: at eam esse ipsissi-
 simam cogitationem manet hactenus inconcussum. Notum est vix quen-
 quam meminiisse, cogitationum, quas, trimulus cum esset, habuit,
 nisi admodum siccus sit temperamenti & memoria tenacis, nemo fal-
 tem earum commeminit quas bimulus formavit. Putandumne id-
 co ante istud tempus mentem omni cogitatione caruisse? absit. In
 ipso somno negligentius quidem cogitat plerumque anima, aut fal-
 tem negligentius cogitationum vestigia cerebro imprimuntur: non
 tamen ideo animam à cogitando plane desistere, insomnia docent.
 Aliud ergo est non cogitare, aliud cogitationum suarum non memi-
 niisse. Nabuchodonosor sane quam maxime cogitationibus agitatus
 erat in mirifico illo somnio, quod somniaverat: quod ipsum tamen

illi exciderat ; unde & somnium ipsum & interpretationem ejus pariter sibi indicari petebat à Chaldaës , Dan. 2. Ita aliud est verbum proloqui , librum aut aliam supellec̄tilem alicui mutuo dare , cuius tamen deinceps non memineris. Ut nulla à defectu memoriz cogitationum quas habuimus , ad defectum ipsarum cogitationum , tanquam non habitarum , sit consequentia. Videſis de hisce eximium locum Nobiliss. Cartesii Epistolar. T om. 1. Epist. 105. in fine.

XLIX. Novitatem huic sententiæ quod objiciat D. Opponens , exigui id est ponderis , cum opiniones non novitate aut antiquitate , sed veritate & ſtimanda ſint : licet Novatoris titulus quid hisce temporibus ſibi velit , notiſſimum ſit , adeoque merito illum quis repellat , ubi nimirum per illum qui S. S. literis directe contradicit designatur , ſicut in corollario M. Regius loquebatur. Non adeo ventilata fuit ſuperioribus retro ſaculis hæc controversy , hominesque animam ſuam ſpiritum agnoscentes , per quem cogitarent , an ille cogitandi eſſet actus perpetuus , an potentia , non adeo follicite requirebant , & hoc ſenſu recte dixi , forte nec unum , nec alterum receptum fuſſe. Ne vero exprobret mihi , ſi quem noſſem inter Antiquiores qui hic mecum faciat , me oſtenſorum fuſſe abſque dubio. Hac enim in re , ſicuti etiam in reliquis , prodiſ ignorantiam ſuam , cum bona fide noverim inter illos qui mecum hic faciant. Quiemadmodum in Epimetro ſecondo jam dixeram : *Non defuſſe qui hoc viderint inter antiquos , ſi hoc ageremus , oſtendere poſſemus.* In quibus ne videamur verba dedille , age dum importuno exprobatori nunc ſatisfaciamus. Cirat quidem D. Opponens D. Forgeum , aſſerentem c. 6. *Mentem ſemper debere cogitare , neminem unquam ante D. Cartesium propoſuſſe.* Illum tamen illud non tam absolute aſſerere , videre eſt ex iis quæ paulo ante dixit , nimirum , licet plures magni Philoſophi , inſignientes ſpiritus intelligentiarum nomine , aliquo modo illorum eſſentiam detexerint , certum tamen eſſe dici non poſſe , illos nobis plene monſtrare & nos docuiſſe quis eſſet fundus natura illorum. Ita & ipſe Cartesius alicubi , neminem ante ipſum illud aſſeruiſſe ait , ſed iſthac restrictione , *quod ſciam.* Quod tamen factum fuſſe , ipſe Forgeus , cujus teſtimoniū in contrarium modo adduxit D. Opponens , oſtendit in præfatione operis ſui de mente humana , ex Auguſtini non uno loco id probans. Ut ex libro de quantitate Animæ , ubi dicit : *Intelligendum enim (quamquam Deus fecerit animum) habere illum certam ſubtantiam , qua neque terrea , neque ignea , neque aerea ſit , neque tumida , niſi forte arbitrandum eſt Deum dediſſe terræ ut nihil aliud ſit quam*

quam terra, & non dedisse animo, ut nihil aliud quam animus sit. Si autem definiri tibi animum vis & queris quid sit animus, facile respondeo, nam mihi videatur esse quaelam substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata. Quam definitionem repetit libro de spiritu & anima, ubi simul explicat, quid per rationem intelligat: *Ratio quidem est animi asperatus, quo per se ipsum verum intutur; ratiocinatio vero est rationis inquisitio;* quare ista opus est ad videndum, illa ad inquirendum. & apertissime l. 4. de origine animæ: *Sicut motus non cessat in corde, unde se pulsus diffundit usquequaque venarum, ita non quiescimus aliquid cogitando versare.* & lib. de spiritu & anima c. 13. *Anima est spiritus intellectualis, semper vivens, semper in motu, &c.* Electe vero de anima infantium agens lib. 14. de Trinit. c. 5. Non ignorare se potest, sed cogitare se non potest. Ubi distinctam sui cognitionem infantibus denegans, actualem tamen sui cognitionem illis tribuit. Ita Damascenus Angelum definit σταύρον φωνήν. Eadem autem mentis nostræ est ratio. Quin imo ita dudum preverat Aristoteles, animam ἐντελέχειαν vocans. De qua voce luculenter Cicerone Tuscul. quæst. l. 1. Aristoteles longè omnibus (Platonem semper excepto) præstans & ingenio & diligentia, cùm quatuor nota illa genera principiorum (elementa nimirum) esset complexus, ē quibus omnia orientur: quintam quandam naturam censem esse, ē qua sit mens. Cogitare enim, & prvidere, & discere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia, meminisse, amare, odire, cupere, timere, angi, letari: hæc, & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat: quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quasi quandam continuatam MOTIONEM, & perennem. Quid clarius istac voce, quæ, teste Cicrone, continuatam & perennem motionem dicit? Hæc licet abunde sufficent, quæ dedimus, addamus tamen iis ipsa Aristotelis verba & aliorum insuper testimonia, quibus veritatem hanc pridem firmissime adstruxit præstantissimus & solidissimus Theologus, amicus meus honorandus, Christophorus Wittichius, cuius fide illa subiungemus. Ita ergo ille loquitur lib. 2. de anima c. 1. §. 6. Φυχὴ ἐστὶν ἐντελέχεια ἡ τρέψις σώματος. Φυσικὴ ζωὴν ἔχοντος σύναμος, id est, anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis. & §. 7. εἰ δὲ τι κοινὸν ἔτι πάσης φυχῆς θεῖ λέγεται, εἴη ἀνὴ τρέψις ἐντελέχεια σώματος. Φυσικὴ ὄργανικὴ, id est, si autem aliquid commune in omni anima operaret dicere, erit utique primus actus corporis naturalis instrumentalis, sive organici. Supra ἐντελέχειαν opposuerat materia, quam potentiam dicit, & ἐντελέχεια pro forma habet. εἰ δὲ οὐ μὲν ὅλη σύναμος, τὸ δὲ ἔιδος ἐντελέ-

ἐντελέχεια. Quod ergo potentia opposuit, id actus sit oportet. Scaliger quoque ita rem accepit, Exercit. 307. Sect. 14. pag. 94. ubi sic colligit: *Igitur erit anima τῶν ἐν δυνάμεσι, non autem ἐν πλέξεια.* Ubi cum opponat *ἐντελέχειαν* iis quae sunt *ἐν δυνάμεσι*, satis apparet, ipsum eam actum intellexisse. Non attendo nunc quod eam *ἐν πλέξειαν* dicit corporis; id enim ex confusio conceptu, quo anima cum corpore confunditur, ortum habet, unde immortalitas animæ plane evritur; sufficit mihi, quod actum dicat: inde enim, si attendamus varios esse mentis actus, facile juxta dicta evincetur, animæ sive mentis essentiam in eo consistere, quod in omni ejus actu reperitur, quod est cogitatio. Eidem veritati illustre testimonium dat *Cl. Mamerius, Vienensis*, quinti à Christo nato saeculi scriptor doctissimus, qui lib. 1. de statu animæ, cap. 24. ita fatur: *Tu enim (sic alloquitur Faustum) cum dicis, aliud esse animam, aliud anima cogitationem, melius fortassis dixisses; illa, de quibus cogitat, cum de se non cogitat, non esse animam, ipsam vero cogitationem non esse nisi animam: quia illud, quod subjiciendum esse dixisti, catenus animam solere requirere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero.* Quid autem illud est, quod somniare dicimur, nisi quod nec defesso quidem corpore, in somnoque revoluto, anima vis à cogitationibus vacat? Tota vero ibi est, ubi cogitat, quia tota cogitat; verum tu idcirco vel maxime de anima statu falleris, quia aliud animam, aliud anima potentias credis. *Quod enim cogitat, accidens ejus est, substantia vero quā cogitat.* Hoc equidem de voluntate oportet agnoscas. Nam sicut tota anima cogitatio est, ita anima tota voluntas est, & quidem perfectè vult, tota vult. Et ut supra dictum est, quacunque illi velle accidentia, ipsum vero velle substantia est. Adde hisce Zwinglium, ita pronunciantem, in fidei Christiana expositione art. 12. [de vita eterna]: *Appellant animum Philosophi actum, sive actionem à vivaci vigilantique, hoc est, perpetua operatione ac virtute. Quam vim Graci significatiore vocabulo exprimit, cum eam *ἐντελέχειαν* vocant, hoc est, jugem virtutem, operationem, actionem ac ductum: & ipsum Calvinum, qui in Psychopannych. p. 391. ita statuit: Qui animam vivere fatentur, illamque simul omni sensu spoliant, prorsus animam singunt, quae nihil anima habeat, aut animam ipsam à se ipsa avellunt, cum ejus natura, sine quā consistere ullo modo nequit, sit moveri, sentire, rigere, intelligere, atque (ut ait Tertullianus) anima anima sensus sit.* Tertull. lib. de carne Christi. Abeat nunc & novitatis calumniam struat Opponens verissimæ hinc sententiaz, quam non ipse solum Aristoteles tenuit, sed & tot Ecclesiæ lumina, vetera & recentiora, & inter illa ipsa Reformationis nostræ capita, Zwinglius & Calvinus, assertuere. Superad dam hisce Henricum Morum, qui in tractatu de anima, licet

Iacet de natura spirituum singularia multa habeat , definiens spiritum creatum cap. 3. quod sit substantia indiscerpibilis , qua potest movere seipsum; item penetrare , contrahere , atque dilatare seipsum , quaque potest penetrare alterare & movere materiam ; hoc tamen fundamentum (adeo evidens est veritas) immotum tenet , perpetuam activitatem spiritui tribuendam esse. Ita enim Cap. 5. loquitur : Per potentiam sese movens nihil intelligo aliud , quam activitatem sui , que necessario attribuenda est subiecto cuilibet per se activo. Quicquid autem simpliciter activum est per se , non magis de sinere potest activum esse , quam existere ; id quod indicium est , materiam non esse per se activam , quia reducibilis est ad quietem. Hocque ipso probatur quod non tantum activitas per se pertineat ad spiritum , sed etiam quod tale aliquod ens , quale dicitur esse spiritus , revera in mundo existat , à quo nemp̄ activitas sit communicata materia. Ita ut veritati huic nullum omnino testimonium à viris præstantissimis , cujuscunque fuerint ætatis , religionis & opinionis , unquam defuerit.

L. Non possum autem quin ostendam , quam ingenue & judiciose Cl. Bisterfeldium , Theologum subtilissimum & maxime receptum , quem in Epimetro posteriori produxeram , tractet. Excipit , ipsum agere de anima separata , quam post mortem hominis actu intelligere afferat. hanc vero non esse nostram controversiam , & gratis me afferere non esse hic eandem rationem anima separata , qua est ejusdem unitacum corpore ; quin & rationem allegat ex D. Tileno , cur illa potentia cogitandi , qua animæ essentiam exhauiunt , non aque sola subsistere possit extra corpus , quam in corpore , quia nimis modus existendi animæ extra corpus diversus est ab eo , quem habet in corpore , & proinde quoque diversus est agendi modus ejus extra corpus. In corpore enim intellectio non sit circa conversionem ad phantasmatam ; soluta corpore non jam phantasmata , sed τὰ νοτὰ ἀνθάσια , vel per species ab aeterna mente fluentes , innotetur. Ita sese habet fabula. Assublatio est : Ecce rationem solidissimam. Non ptemam illud pus in Tileno , quod jam dudum adeo expressum est ab aliis , ut mirer reperiri adhuc qui illo se sedari sinant : sed hoc solum dicam , neque illud ipsum juvare , neque ad rem facere. Non juvat ; sive enim intellectio fiat per intuitionem phantasmatum , sive τὰ νοτὰ ἀνθάσια , perinde est : presupponitur enim in utrovis modo , mentem , sive in corpore , sive extra corpus , intelligere & agere , quemadmodum etiam Tileni verba , in corpore animæ rationalis actio sive intellectus , &c. istud inferunt ; præcipue cum idem mox addat : Interim manet utrobique eadem anima natura , §. 32. Noster autem opponens actionem à mente , dum in corpore est tollit , me-

ram relinquens potentiam. Sed nec ad rem facit. Scio equidem, aliam esse rationem in multis animæ separata & corpori unitæ, sed dixi, eandem esse rationem vitæ animæ separata & corpori unitæ, de illa enim agit D. Bisterfeldius, & quidem talibus argumentis, quæ in utrolibet animæ statu æque valent. Notanda maxime sunt ejus verba, quæ integra describere cùm non ferret ērip̄t̄ḡs tatio, nunc pauculo plenius illa exhibebo. Sic ergo loquitur lib. 1. Sect. 11. Cap. xxix in fine. Nam ut unicum argumentum adferam, si anima seu spiritus hominis post ejus mortem actu nec intelligit nec vivit; aut adhuc aliquid est in rerum natura, aut pro�us nihil est. Si hoc; ergo proஸus perit, ac annihilata fuit: quod longe absurdissimum est. Si vero adhuc post mortem aliquid est in rerum natura, aut integra manet ejas essentia ac substantia, aut non manet. Si manet integra; utique vivet: tum quia integrat̄ essentiam integrat̄ actio essentialis necessario comitatur ac sequitur; at essentialis actio animæ est vita & intelligentia: tum quia fingi non potest, quod vita animæ cessest, integrat̄ ejus essentia, adeoque & proprietatibus, manente. Si non manet integra, attamen adhuc aliquid est in rerum natura; utique resolvetur in quasdam partes substanciales atque adeo in corpora quædam principia. Quicquid enim ex partibus substancialibus, & quidem à se invicem separabilibus, constat, illud & corpus est, & principia corporea, in qua resolvatur, habet. At denno absurdum est animam hominis rationalem esse corp̄s. Ergo anima rationalis post hominis mortem & quoad essentiam suam, & quoad proprietates suas essentiales, & quoad actum suum formalem, qui est vivere & intelligere, perfecta manet. Etenim si post mortem anima non vivit, attamen est, moritur utique, & si non vivit, mēritur Christus, dum dicit Matth. 10. vers. 28. Et ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare. Nam si rivere definat, utique una cum corpore trucidata fuit. Post quæ concludit in hunc modum: Ergo anima rationalis post hominis mortem & quoad essentiam suam, & quoad proprietates suas essentiales & quoad actum suum formalem, qui est vivere & intelligere, perfecta manet. Ecce D. Bisterfeldio actio animæ essentialis est vita & intelligentia: idque hoc modo, ut rivere & intelligere sit actus ejus formalis. Quocunque ergo in statu sit anima, in corpore, extra corpus, quoquinque modo intelligat, sive per phantasmatā, sive per intuitionēm, perinde est (mittamus illa mysteria) faltem intelligit & agit, ut Tilenus ait, & quidem ita intelligit, ut vita & intelligentia (non vero mera potentia vivendi & intelligendi) sit actus ejus essentialis, & rivere & intelligere sit actus ejus formalis, ut Bisterfeldius loquitur. Respon-

deat jam Noster ; an *actus essentialis & formalis animæ unquam ab illa*,
sive extra corpus, sive in corpore, abesse possit, sicut illum abesse
docet Noster, qui actum omnem cogitandi sive intelligendi ab ani-
ma tollit, meram illi potentiam relinquens. Unde etiam pater,
iplos negare intelligere actum animæ essentialiem esse & formalem
(& qualis ergo est ?) hoc enim si crederent, non tollerent actum il-
lum ab anima in utero. Ita ergo in Bisterfeldii verbis non solum te-
stimonii splendor est, sed & argumenti pondus, quod Noster aut
non vidit, aut si viderit, dissimulavit ac subduxit, credens, se levi pul-
vore injecto oculis lectoris, illum talpa cæciorem redditurum, cum
revera non solum Bisterfeldius, sed &c, quem produxit, Tilenus, ipsi
adversi sint. O miseram vero animam ! quæ dum in corpore phan-
tasmata intuetur, ut oculus colores, in meram potentiam resolvi
potest, & à phantasmatis intuendis cessare, nullos colores intuens, sed
tetris caliginis umbris eo usq; immergi potest, ut ne minimum qui-
dem agat aut speculetur, sola potentia speculandi illi relicta. Mirum,
phantasmata, quæ extra animam sunt, ita illius actiones, quas elicere
deberent, inhibere posse, ut omni plane actione cassa sit. Sic
ergo corpus, quod extra animam est, internam ejus essentialiisque
actionem plane reprimet, ut non solum extra sese, verum etiam in se-
metipsa agere non possit anima. Et illa nihilominus realiter à corpore
distincta erit, quæ tantum ab illo hospite patitur, ut intima quæque,
quæ in adyto ipsius quasi hærent, exerere in semetipsa non possit, obsef-
so ab importuno hoc socio. An vero visorum & phantasmatum ope
semper indiger anima in omni perceptione, etiam sui ipsius, quæ non
solum immaterialis est, verum etiam sibi ipsi maxime proxima &
intima, ita ut nihil inter ipsam & cognitionem sui ipsius intervenire
queat ? Si vero à corpore phantasmata semper formari necesse sit, an
illud ipsum corpus, cui anima unita est, parcum nimis est in suppe-
ditandis illi phantasmatis ? an corpus infantis, vitæ nutritionisque
particeps & sensus maxime capax, perpetua ad mentem phantasma-
ta transmittere ex semetipsio non valeat ? Sed quomodo separata à cor-
pore tantam vim patitur à ratione, ut actionem suam internam illa
intuendi inhibere non possit, quemadmodum in corpore fecerat ra-
tione phantasmatum, uti vult Noster, quæ nihilominus validius il-
lam pulsabant in corpore agentem, quam ratione, quæ illam, corpori
non unitam, languidius attingunt ? Et cur non igitur æque subsistere
potest, sola cogitandi potentia contenta, extra corpus, quam in corpo-

re, adeoque post mortem soporata & dormientis instar sese habere, quæ quorundam hæreticorum olim hodieque opinio fuit? Quanto rectius & judiciosius vir Doctissimus & Celebrissimus, Reinerus Vogelsangius, in specimine conflictus sui, ostendit ex Aristotele, phantasmatum contemplationem menti tantum necessariam esse circa perceptionem corporum extra nos existentium, cæteroquin mentem ab ipsam originē notionibus firmis & minime dubiis instructā esse, & Aristotelem intellectui soli quædam vendicare, rationali consideratione pensitanda, puraque mentis attentione, tanquam secretiore quodam obtutu, quæ sensibus internis aut externis haud attinguntur: & ex Platone, animam nonnulla contemplari per sese ipsam; alia per corporis organa sive vires apprehendere? An ergo ita alligata erunt mentis actiones phantasmatis, cum vel in ipso corpore illis non semper egeat; ita ut omnis mentis actio nullo modo ab illis pendeat, ex ipsius Aristotelis sententia? Sed hoc unum adhuc rogare lubet, cum anima in cogitandi actu ita impediri possit, in & à corpore infantis, sive illud fiat volente anima, sive nolente (licet hinc rursus rogari posset), quomodo anima tum cesseret ab omni actu voluntatis) cur non quæso anima per semetipsam possit, quod in illam potest corpus, cum ipsa sibi sit propinquior, quam corpus, quo cum unita est, quodq; tam immediate & intime in ipsam agere non potest, ac ipsa per seipsum? Et licet aliter interdum res sese habere videri possit, in actibus quibusdam, qui ex vi unionis animæ cum corpore in illa invita subinde prosiliunt, attamen in iis quæ ipsi essentialia & propria sunt, ipsa suarum actionum est domina. Nemo potentiam habet sibi propriam ac domesticam, imo intimam, quin illa quemadmodum uti, ita etiam ab usū ejus cessare possit. Cur non ergo anima, quæ à corpore sapienter dicitur ab omni cogitandi actu, ultro quoque ac sua voluntate ab omni cogitandi actu desistere potest, & sola sua potentia contenta esse? Nemo tamen illud in se experitur; sed contrarium, uti & superius adstruximus. Cogitationes divertere plerumque licet, non vero plane abolere & sine iis esse. Quod ipsum confirmat animæ essentialiam in cogitando consistere. Si quis excipiat, à corpore id esse, quod jugis nobis cogitationis fons est; præterquam quod illud non semper obtineat, præcipue in talibus cogitationibus, quæ cum corpore nullum videntur habere commercium, saltem id obtineret in anima à corpore soluta, quæ tum omni cogitatione facilissime sese ad lumen exuere posset: at vero contra-

rium D. Opponentem supra maxime affirmantem audivimus. Ut omnia hic sint perplexa & imperceptibilia.

LI. Ita ergo mentis humanae naturam actuosam asseruimus. Verum cum M. Regius dilectoris mei, quod ipsi proponebam, cornua, nimisrum subiectum potentiae cogitandi, si in ea mentis natura considereret, esse debere substantiam spiritualem, adeoque actuosam, vel corpoream, videretur effugere, fingendo substantiam tertii generis, quam ego plane rejiciebam, neque eam esse posse, neque si vel esse posset, actu tamen esse reponiebam; illud autem nunc repeatat ipsius hyperaspistes, licet ceteroquin validissimum meum argumentum vix attingat; age, & hic fidem liberemus, ejuscemodi substantiam tertii generis esse non posse, multoq; minus actu esse, breviter ostendamus. Non posse dari substantiam tertiam, sive tertii generis, inter spiritum & corpus, clarum est, quia illud contradicitorum est, secundum ordinem Dei institutum, adeoque ideas exinde nobis innatas sive datas. Sufficit enim ut aliquid contradictionem implicit, ut repugnet conceptui nostro & distincte a nobis percipi non possit. Hoc vero ita patet. Media illa, sive tertia substantia inter spiritum & corpus, esset, ut illorum more nunc loquar, medium, vel participationis, vel negationis. Participationis esse non potest, spiritus enim sive res cogitans materialis esse non potest, cum Deo sit similis imaginemque ejus naturalem (ut ita loquar, non enim nunc de imagine morali, quae in justitia & sanctitate consistit, agimus) referat: Deus enim spiritus est, intelligens, volens, liber, immortalis &c. quae omnia cum in natura spirituali involvantur, non potest illa materialis esse: & eadem de causa neque materia cogitans vel spiritualis esse potest. Divisio ergo substantiae in spiritum & corpus immediata est. Cum enim spiritum dico, nego corpus, & ita vice versa. Adeoque non datur medium participationis: exhaustum enim haec duo contraria, maxime universalia, totam entis latitudinem. Ideoque etiam inter illa non datur medium negationis. Nulla enim substantia mente concipi potest, quae non sit extensa, vel cogitans. Et si concipi non potest, ergo neque existere potest. Concipi autem non posse, pater. Concepitur substantia tertia, quae non sit neque spiritus, neque corpus. Si spiritus non sit, adeoque non immaterialis, non erit cogitans. Si vero corpus non sit, non erit materialis, adeoque immaterialis, & per consequens erit cogitans. Ceteroquin erit aliquid immateriale, adeoque spirituale, neque tamen cogitans & intelligens. Quae omnia contra-

contradictione plena sunt. Non erit spiritus, vel immaterialis, est enim substantia tertia, & tamen erit spiritus sive immaterialis, cum non sit substantia materialis, vel corpus. Quæ directe opposita sunt; aut negandum erit, rem non corpoream neque extensam, esse immateriale, sive spiritum. Quod tamen in terminis contradicit; repugnat enim ipsi notioni seu definitioni spiritus & corporis. Quod enim non est corpus, & tamen vera substantia, illud incorporeum est, adeoque spirituale: & tamen non est spiritus, cum supponatur esse substantia tertia. Aut assignent medium inter rem immateriale sive spiritualem, & rem intelligentem sive cogitantem: cum communis sit notio, spiritum, sive rem cogitantem, idem esse. Hęc tamen notio hic evertitur. Recte vero Suarezius, immateriale esse & intellectuale esse inseparabilia. Ita ut manifestum sit, quam facile hęc divisio, secundario faltem, ad contradictionem, omni medio carentem, reduci possit. Quin imo potest hęc divisio substantiæ in corpus & spiritum, sive in rem extensem & cogitantem, facile revocari ad terminos contradictorios primario & directe, ut patet ex utriusque hujus substantiæ proprietatibus, quæ inter alias sunt, esse divisibile & indivisibile, materiale & immateriale; omne enim extensem divisibile, & omne cogitans indivisibile est. Substantia ergo tertia, cum non sit corpus, erit indivisibilis, & cum non sit spiritus, erit divisibilis. Cæteroquin iterum proprietates rerum, quæ sunt divisibilitas & indivisibilitas, in corpore & spiritu, erunt separabiles ab ipsis, quod itidem contradictorium est. Summa, ut concludamus hęc, substantia hęc cum non sit corporea, non erit divisibilis, & cum non sit spiritualis, erit divisibilis: adeoque neque divisibilis erit, neque indivisibilis, cum tamen alterutrum esse debeat: inter divisibile enim & indivisibile non datur medium: aut affectiones illæ alii rebus inesse debent, quam corpori & spiritui, adeoque proprietates harum substantiarum alii substantiæ tertiae, quæ plane alterius generis erit, communes esse poterant, & consequenter corporis & spiritus proprietates non erunt. Quæ omnia evincunt, substantiam illam tertiam non posse concipi, non hoc duntaxat modo, quia superat nostrum conceptum, qualia innumera procul dubio sunt in infinita Dei natura & potentia, sed quia repugnat conceptui, quem ex ordine instituto de rebus omnibus habemus: non enim hic disputamus quid Deus forte potuissest pro absoluta sua potentia facere, rerum ordine necdum instituto, sicut ita quidam disputant, an potuissest contradictorya facere;

sed.

sed, quod nobis sufficit, an secundum ordinem institutum hoc facere possit: quod negamus, quemadmodum jam probavimus illud fieri non posse, nisi delecta natura & prorietatibus substantiarum quæ nunc sunt. Et eo ipso probavimus, contradictionem illud involvere manifestariam. Unde patet quam vana & viro sapiente indigna sit hæc D. Opponentis exclamatio, instar galli gallinacei è sterquilinio suo, post imaginariam victoriā, vociferantis: *Cur obsecro HETERODOXA hæc assertio?* Cedo Scriptura locum, D. Oponens! cedo fidei articulum! cedo caput confessionis aut Catecheses Reformatæ, cui hæc thesis, mere Philosophica, contrarietur? non enim ego hic te dimittam. Ubi lepidum est, ipsum velle thesin hanc mere Philosophicam esse, & tamen exigere scripturæ locum, fidei articulum, caput Confessionis aut Catecheses Reformatæ, cui contrarietur: quasi in omnibus illis instrumentis mere philosophica tractarentur; aut non satis illis omnibus contrarietur, adeoque heterodoxum sit, illud quod contradictionem implicat: præcipue cum ea involvat, quæ historiæ creationis in omnibus istis instrumentis memorataæ, & electæ quæ religione adversa sunt, ut inferius ostendetur. Si mihi ita exclamare lubuerit, quoties illum constringebam, vereor ne dudum me præ raucedine vox defecisset, & forte in æternum ipsum, tanquam nexus & mancipio meum, non dimisurus fuisset.

LII. Ita ergo probatum dedimus, istiusmodi substantiam tertiam, quæ neque spiritus sit, neque res extensa, dari non posse. Sed non hæc præcipua fuit quæstio, an talis dari possit, verum an actu & re ipsa detur. Hoc enim asservare debuit M. Regius, si hypothesi suæ convenienter voluerit loqui, ut in Epimetro secundo ostendimus; imo hoc revera quoque asservavit, asservens istiusmodi brutorum animas, quæ neque spiritus, neque substantia extensa essent: hoc etiam nunc asservit hyperaspistes ejus, D. Oponens, qui ita pronunciat: *Affidere id, quotquot ex Peripatetica schola prodiere Reformati Theologi & Philosophi, qui tuiti fuerunt formas substantiales, quorum numerus innumerus. Ea enim controversia hic reddit, teste Heribordio, vol. 1. Disp. xxxiv.* An forma in rebus naturalibus sit substantia, eaque diversa à materia (*qua extensio?*) atque hæc de omnibus, præter rationalem animam (*qua spiritus?*) formis instituitur quæstio. En ipsam hanc controversiam! cuius Affirmativam ab aliquot jam seculis invaluisse, ait idem. Videt quisque, non minus gravem & injuriam esse hanc criminationem Opponentis, quam est illa, in qua amolienda tam anxiè laborat. Nunc igitur formæ substantiales

Ies vicem illius substantia tertiae, quæ neque spiritus, neque corpus
 sit, subibunt. De hisce, quid sit, cominus experiamur, & hanc ar-
 nearum atque maniarum telam aliquantulum retexamus. Primum
 hoc dicam, dubium mihi fuisse, an majori indignatione, an risu
 exceperim hanc non tralatitiam pholosophationem, quæ cum seria
 adeo inter me & M. Regium institui cœpit, nunc tandem ridicula
 adeo, dirigente hoc figulo rotam, exit. Hoc scilicet disquirebatur in-
 ter nos, an non fortassis ens aliquod chimæricum, sive qualecunque
 sit, forma substantialis, existat in rerum natura, aut à Philosophis
 quibusdam asserta sit afferaturve? hoc nimurum me offendisset, hoc
 heterodoxum mihi visum fuisset? hoc Regius, non obtusi ingenii
 Doctor, non monuisset aut produxisset, cum ipsi adeo hæreret aqua?
 hoc ipsi non incidisset, cum ista nugalia maxime vulgata & obvia
 sint? apage. Sed disceptabamus, an non vera ac proprie dicta aliqua
 & per se subsistens substantia, neque cum spiritu, neque cum materia
 communionem habens, & verè ab utraque distincta ac diversa, exi-
 stere posset, imo actu existeret. Probe commemini, dixisse tunc tem-
 poris M. Regium, cum urgerem ipsum, ut auctorem aliquem istius
 opinionis produceret, sese opinari, tempore Aristotelis non defu-
 isse Philosophos, qui substantiam tertiam istiusmodi dari statuerint,
 sine quod formas substantiales exprimeret; me vero illi regeffisse,
 me non curare, quid fortassis Philosophus aliquis Aristotelis sæculo
 somniaverit (nihil enim tam absurdum est, quod non philosophus a-
 liquis affirmaverit) quo ipso omnia Philosophorum commenta, ad-
 coque & formas substantiales, si vel ad illas respexisset Regius, exci-
 piebam & præcidebam: sed me loqui de Doctoribus Ecclesiæ, obte-
 starique, ut vel ex veteribus, vel recentioribus aliquem exhiberet, qui
 istiusmodi substantiam tertiam, verè & proprie dictam (de formis e-
 nem nihil omnino inter nos ne missitatum quidem) asseruisset; hanc
 enim novitatem mihi maximam videri. Ubi si de formis substantia-
 libus aëtum fuisset, facillime reponere potuisset, multos Theologos,
 & que ac Philosophos, ex schola Peripatetica, illas tuitos fuisse. Sed
 de eo nihil omnino locutus est Regius, cum de eo non agi scirèt, sed
 de veri nominis substantia, realiter à spiritu & corpore diversa: unde
 ille potius ad Theologum illum, qui anima humana propagatio-
 nem ex traduce videtur urgere, confugiebat, ut in Epimetro often-
 sum. Quod arguit, ipsum de vera substantia tertii generis sermo-
 nem nostrum, qualis revera erat, accepisse; quam substantiam tertii

am in anima humana, per traducem propagata, & proinde, ut ipsi videbatur, ab anima mere spirituali diversa, se putabat reperiisse, sive falsum testimonium in illius sententiae auctore pro illa opinabatur esse habere. Nunc vero hyperaspistes ipsius de substantia imperfecta agit, de forma substantiali: ita assertionem de substantia perfecta tertii generis, de qua nostra erat controversia, conclamatam esse ostendens. Quam egregie autem discipuli sui causam agit, substantiam imperfectam tantum urgens, cum alter de perfecta, mente humana, loqueretur? quo ipso clientem suum misere destituit. Nisi mentem quoque substantiis imperfectis, non vere aut proprie sic dictis, & per se non subsistentibus, accenseat. Unde secundo loco dico, nihil huc facere formas substanciales. Illæ enim (excepta anima rationali, quod & fatetur ex Cl. Heereboordio D. Opponens) substantia veræ & per se subsistentes non sunt, sed substantia veræ & per se subsistentis, quale est corpus, principia duntaxat, juxta Peripateticos, adeoque ad corpus, sive substantiam materialem & extensam, reducuntur. Quod & ipse D. Opponens fateri debet, secundum ea, quæ dicit §. 1 r. *Tyronibus in Logica notum esse, in duas istas species dividi substantiam prædicamentalem duntaxat & completam, qua ipsa per se subsistens (ita definiunt) pars alterius non existit.* Talis autem substantia cum forma à nemine assleratur, utpote substantia tantum principium, utique ad substantiam materialem revera revocanda est. Nos autem de substantiis per se subsistentibus & completis agebamus, spiritibus nimirum ab una, & corporibus ab altera parte, an inter eas tertia sive media dari possit deturque substantia. Talem ergo producere debuisset opponens, non formam aliquam, quæ materialis est, & è potentia illius educi creditur, adeoque ad materiam pertinet. Imo talem illam substantiam tertiam imperfectam describit, ut revera appareat illam concipi per modum accidentis, quæ nempe è materia educatur, in illam relabatur, sine illa subsistere non possit, quæque non sit materia, sed potius aliquid materia, & quæ porro sunt accidentis attributa, formis ad amissim convenientia. Qui falsus conceptus hujus figmenti absurditatem ad oculum demonstrat. Eodem jure quoque accidentia substancialia cedere potuisset, quæ sensu Pontificio à materia & subjecto separari possint, & ab iis realiter differre, & que ac formæ hæ substanciales, quæ revera nihil aliud sunt, quam accidentia materia. Sed & tertio non convenienter Peripateticorum hypothesi loquitur, quando de suo addit, *materiam extensionem esse.* Extensio enim in longum, la-

tum.

tum & profundum, in Peripateticorum Scholis quantitati tribui-
tur, quæ illis accidens est materia, non ipsa materia. Tam parum
apposite philosophatur, dum Peripateticus vult videri, & formas
substantiales, Peripateticæ Scholæ Palladium, defendere conatur.
Sed quarto, cum hic præcipue pugnet clarissimi quondam Philosophi
& preceptoris mei honorandi, Heereboordii, telis, age cum, videamus
quam dextre & hisce armis utatur. Admodum jactabundus gloria-
tut, asserere Cl. Heereboordium, affirmativam (nimirum formas natu-
rales esse substantias à materia diversas) ab aliquo tam scœulis invaluisse.
Rem, si videoas, censeas. Ostendit Cl. Heereboordius isthic loci ex
Conimbricensibus, negantem sententiam plerisque ante Aristotelem
Philosophis antiquioribus placuisse, affirmantem Aristotelii alibi nisse, eamque
Conimbricenses cum omni catena scholasticorum quoque sequi. Subdit tum:
Fateri sese, ab aliquo tam scœulis hanc affirmantium opinionem **INVALUSSI**,
atque illas radices egisse in **MULTORUM** animis, ut qui contra sentiunt, in
ipsa censeantur philosophia principia impingere omnisque veritatis fundamenta
subruere. quin & longius itum esse. Non erroris tantum aut falsitatis **QUI-
BUSDAM**, præcipitanis nimirum judici hominibus, haberi reos, qui negantem
questionis proposita partem defendant, sed impietatis insuper. atque adeo fere
excommunicationis fulmen negantibus pro terriculamento objici. Sed bene esse,
quod non ipsis morum & pietas exactores & censores sint constituti. Dandum
hoc esse & condonandum nostri temporis vitio, quod homines **QUIDAM** (qui,
nisi quod ipsis sentiunt, nihil rectum censem) ex innocuis in philosophia opinio-
nibus impietatem statim norunt exculpere aut heresim etiam. Totum quod
hinc elici potest, est, ita sensisse ab aliquo retro scœulis **QUOSDAM**,
nimirum Scholasticos, & apud illos hanc opinionem invaluisse, tan-
to cum fervore, ut impietatis etiam tantum non arcesserent aliter sen-
tientes; quod detestatur Cl. Heereboordius. Videat D. Opponens,
quos hic laudet sententia suæ patronos, Scholasticos, Pontificios,
ita opinantes & furentes, in ista superiorum scœulorum barbarie.
Hoc nimirum ad Doctores Reformatos attinet, hoc ad veritatem il-
lius opinionis aliquid confert. Unde etiam, ut impietatem aut heresim à
negantis sententia authoribus semel & serio amoliretur Cl. Heereboortius, vi-
sum ei fuit aliquot disputationibus ventilandas proponere pro ne-
gante sententia rationes Guiljelmi Pembelli, Angli, cuius vestigiis insi-
stens, disputationibus aliquot formas istas substantiales convulsit, uti
apud ipsum videre est: qui inter alia ex ipso Aristotele ostendit, formas
non aliter sese habere ad materiam, quam statuam ad as, aut lecticam ad li-
gnum.

gnūm., I. t. Phys. c. 7. t. 69. hoc est, accidentales tantum esse materiae, licet essentiales sint composito; quod latius ostendi posset. Imo sic demonstrative ex Pembelio argumentatur: *Si Forma educatur ex materia, si et hoc, vel ex aliquo praexistente in materia, vel ex nihilo.* Si prius, erit illud aliquid, vel ipsa materia essentia, vel accidentia quedam ipsius. Illud autem fieri non posse, per partes ostendit, adeoque formas illas ad internacionem usque tollit & abolet. Ut merito dubitem, an sterterit, an vigilaverit D. Opponens, quando Cl. Heereboortium in medium produxit, qui nihil asserit nisi hanc opinionem, apud Scholasticos superiorum saeculorum invaluisse, quam ipse repudiat & efficacissime convellit, quo nihil magis illi adversum esse potest. Licet enim istae formæ substanciales vel darentur, non tamen substancialiam istam tertiam, de qua inter nos disceptabatur, constituerent: longe minus autem, cum ne quidem in rerum natura unquam fuerint, neque esse possint. Quis enim concipiatur substancialiam esse materia educi, quæ tamen materialis non sit, sive per modum generationis illud sit, sive etiam creationis, quemadmodum ex viri costa educebatur foeminae corpus, utique materiale. si vero materialis sint, ut certe eas esse oportet, si corpus constituturæ sint, & quidem magis quam ipsa materia illud constituit, utique extensa quoque esse debent: tales vero cum sint, cum alia entia nihilominus concipientur, esse quam materia, necessario in unione illarum cum materia, ut unum inde oriatur compositum, quod ens per se erit, mutua illarum & materiae penetratio locum habere debet. Quod licet maxime absurdum & imperceptibile sit, evitari tamen non potest, nisi illas immateriales & incorporeas singas, quæ tamen cum materia, & quidem ut causa internæ, adeoque partes componentes, corpus constituent. In hosce laqueos & insuperabiles difficultates sese induunt, qui chimærica ista entia tueruntur. Quod si non sit à nostro oppONENTE, illaque non tueatur, cur ergo illa producit, quæ, si vel existent in rerum natura, nihil ad nostram controversiam facerent? si vero illa tueatur, agedum solvat argumenta, quæ Cl. Heerboortius aliisque in contrarium producunt, & videat an vitam reddere possit fugitivis umbraticisque illis entibus, quæ dudum in abyssum non existentia, e qua nunquam vere emergerant, demersa rebar. O miseri adolescentes, qui siliquis ejuscemodi pascuntur! Nobis certè, pane dudum reperto, glandibus vesci non luet, secundum istud veterum, *ἄλις ἀρπάσει*. Et hunc putamus maximum esse veritatis triumphum, quod aliter sentientes ad tam absurdas

hypotheses, quæ dudum sepulta sunt, & non sine risu orbi literato
 nunc iterum propinantur, adigat. Age autem exedamus & absterga-
 mus omnem illum squalorem tam miserorum figurantum & nu-
 gamentorum sale puriori meliorum cogitationum Cl. Heereboordii,
 qui in ipsa disputatione à D. Opponente citata, omnia illa portenta
 substantiæ tertiae, sive perfectæ, sive imperfectæ, hac velut decretoria
 securi recidit, §. 6. ita loquens: *Forma corporis naturalis, est vel substantia, vel accidens. Si substantia sit, erit vel materialis & corporea, vel immaterialis & spiritualis.* Ha divisiones sunt immediate, & ex terminis oppositis, to-
 to genere differentibus, constant; ita ut in epte diverticulum quaratur, in di-
 finitione substantia in perfectam & imperfectam, aut in gradus quosdam inter-
 medios inter substantiam & accidens, inter materiam & spiritum, quos neque
 natura neque Philosophia Peripatetica ullo modo admittit: puritas enim purissi-
 ma materie non eximit rem e gradu rerum materialium, nec speciem variat:
 illa entitas media inter substantiam & accidens ne concipi quidem potest, &
 certe norum requiret prædicamentum. Nec illud de perfectione aut imperfectio-
 ne substantia magis e divisione prædicamenti formam quam materiam extermi-
 nat, qua imperfectius nihil. Sunt itaque secundum Philosophiam Peripateti-
 cam, & naturam quidem ipsam, distributiones illa irrefragabiles: ex quibus sic
 procedo. Forma nec est substantia materialis, nec immaterialis: Ergo ne omni-
 no quidem substantia est. Ita & Trebatius in opusculis Theologicis pag.
 mihi 86. Quicquid est in mundo creatum, est vel substantia, vel accidens.
 Substantiarum alia sunt immateriales, incorporeæ, invisibles: alia materiales,
 corporeæ, visibiles. Rogat insuper D. Opponens; at vero, an quis pro-
 nunciat eorum, tertiam per potentiam divinam dari non posse? Mira interro-
 gatio. Non mirum, si illud non pronunciassent Ecclesia Doctores,
 cum de substantia illa tertia ne per somnium quidem cogitaverint:
 nedum ut in illius possibilitatem inquisiverint. Illud tamen ex dictis
 illorum fundamentisque quæ jecerunt, abunde colligi posse, ex alle-
 gatis apud Cl. Heereboortium videre est. Sed sermo noster non erat,
 an Doctores Theologi impossibilem habuissent hanc tertii generis
 substantiam (hæc enim de impossibilitate talis substantiæ mea erat af-
 fertia duntaxat) verum an ullus eorum produci posset, qui illam un-
 quam asservisset, aut, ut in Epimetro dicitur, *qui istius fuerit sententia,*
 nimis dari istiusmodi substantiam tertiam. hec enim illorum meo-
 rum verborum mens erat. Unde ego illam esse novitatem maximam
 concludebam. Hoc vero neque à discipulo tunc temporis, neque
 nunc à præceptore præstitum est. Manet itaque firma & immota

mea conclusio. Non possum quin hisce addam, quo pacto monstrum illud figmentum de substantia tertia, quæ neque spiritus, neque corpus sit, quod ab omnibus retro saeculis inauditum fuit, & bonis omnibus abominationi est, proxime conveniat cum execratis Spinozæ, & sequacium ejus, hypothesibus: quorum arcana & domestica opinio, quatenus mihi id compertum est, hæc est: *Substantia ex seipso subsistit, & non aliunde dependet.* Substantia non absolute, sed respective semper suo modo nobis obvenit, quia intellectus noster adeo est determinatus, ut idea substantia semper sub idea modi nobis obveniat. Deus est perfectissima & independens substantia, quæ in se comprehendit infinitas proprietates substantia, ut cogitationem & extensionem, quæ duæ sole nostris ideis distincte obveniunt, que tamen in Deo non sunt distinctæ. Ha nobis occurunt sub diversis modis, & propterea ut diversa à nobis concipiuntur. Non tantum duo, sed infiniti modi, natura plane distincti, quales sunt modi cogitationis & extensionis, à Deo per infinitam suam potentiam sunt producti: nostra autem idea ita sunt determinatae, ut tantum duas modorum naturas cogitemus, juxta quos differentia generum modorum se representant spiritibus cogitantibus. Ex quibus videre est, quales sint hi de spina flosculti, & quo pacto mysteriorum horum epoptæ unicam duntaxat statuant substantiam; attributa vero duo, extensionem & cogitationem, quæ ex rei veritate duas constituant substantias, modos duntaxat esse velint, ita tamen ut illi ideas substantiarum nobis repræsentent: præter quos cum aliis infinitos modos singant, revera infinitas substantias constituant, præter mentem & corpus, adeoque non tantum tertiam substantiam admittunt, sed & quartam, quintam, & ita porro in infinitum. Scio Antagonistarum meorum mentem à blasphemis hisce hominum istorum dogmatis plane diversam esse; sed tamen eo magis decebat illos, nihil cum ipsis fidei & religionis omnis eversoribus, neque in verbis, neque in conceptibus, commune habere, & præter extensionem & cogitationem nullam admittere substantiam tertiam (& consequenter quartam, quintam &c.) quod à nullo Theologo, aut corrado Philosopho unquam factum, nisi ab hisce Philosophia & Theologiae omnis suffosoribus: quorum insignia, ne minima quidem ex parte, aptare sibi debuisset ullus melioris notæ Philosophus, nedum illi, qui Novatorum, ut audiunt, jurati videri volunt hostes.

LIII. Hæc ergo inaudita & portentosa est novitas in iis, qui ad debellandos miseros illos Novatores & iis fauces elidendas, nati nunc videntur. Sed vide porro quam periculosa sit hæc novitas. In exemplum tertiae

tertiae ejusmodi substantiae adducebat Regius brutorum animas, in eo præceptore suo, quod cum bona ejus venia dictum sit, felicior, licet non judicior, cum illorum animæ vulgaribus rerum corporearum formis substantialibus longe antestent, vita, motu, sensibus, quin & si diis placeat, perceptione, multisque aliis præclaris & admirandis dotibus. Sed vide quo hæc mirifica inventa exeat! Qui tertiam istiusmodi substantiam in rerum naturam introducunt, & illum quasi substantiarum triumviratum constituant, certe univoce de trino hoc substantiarum genere prædicare necesse habent, quod veræ sint substantiae, adeoque per se ipsæ substantiant. Substantiae enim definitio univoco illis convenire debet. Hoc ipsum enim locum habere in divisione animalis in hominem & bestiam, ipsis fatentur: itidem in divisione bestiæ in lupum, agnum &c. Definitio enim animalis univoco convenit homini & bestiæ, illaque bestiæ rursus lupo, agno, & ita porro. Idem fatentur, ubi substantiam partiuntur in spiritus & corpora. Non possunt ergo hisce tertium substantiae genus apponere, quin etiam fateri cogantur, tertium illud substantiae genus æque per se subsistere posse, ac duo reliqua genera. Ne jam iterum repetam tertium illud substantiae genus esse vel rationale, vel irrationale, sive cogitans aut non cogitans, divisibile vel indivisibile, & quæ plura sunt hujus commatis; saltem hoc clarum & evidens erit, tertium illud substantiae genus, cum corporeæ molis expers sit, vel juxta proprias ipsorum hypothes, immortale fore. Id enim *Tilenus*, cuius patrocinio tantopere nititur D. Opponens, affirmat hisce verbis, de angelis loquens: *Sunt autem substantia illæ, ut corporea molis, sic mortis interitusque expertes.* Syntagm. Disp. 24. §. 7. Cum vero brutorum animæ ejusmodi substantia tertia sunt, utique illæ natura sua, æque ac mens humana, immortales erunt. Hoc solum quam infinitum absurditatum in religione periculosarum syrma secum trahat, cuivis, opinor, manifestum est. Hoc autem illud erat, quod me tantopere offendebat in temeraria illa assertione tertiae substantiae istius, præter inauditam illius ab omni retro ævo novitatem, quod nimis hinc tantum mentis nostræ immortalitati creetur præjudicium: cum enim brutorum animæ ita constituant natura sua immortales, sequitur quoque, eas revera immortales esse: Deus enim juxta naturas rerum agit ordinaria sua providentia, neque uspiam declaravit se minimam substantiam annihilare velle: attamen constat nobis ex verbo Dei, brutorum animas mortales esse, & revera mori, ac perire cum corpore &

sanguine. Quis non ergo idem credat, eodemq; jure, de anima humana, quæ brutorum animas natura sua, ex hac hypothesi, non superat, cum illæ & que sint substantiæ veræ, per se subsistentes & corporeæ molis expertes, ac hæc. Nunc ergo saltem videant, si haec tenus illud videre noluerint, aut non potuerint, quo jure orthodoxias testimoniū, per conscientiam, ut loquuntur, denegare coactus fuerim juveni tam audacter & pertinaciter id afferenti: non vero, ut falsissime sparsit & disseminavit in plebes, eo nomine, quod heterodoxam afferuerim opinionem illam, quæ infantes in utero materno actu cogitare & per consequens quoque peccare negat. Quam sententiam falsam quidem habeo & gravissimæ consequiæ, ut late nunc deduxi; non tamen hoc tunc temporis egi, sed tandem ostendi, non repugnare S. literis contrariam sententiam novatorum, ut loquitur in corollario Regius, quæ nimirum afferit infantes omnino actu cogitare, adeoque & peccare. Quæ toto cælo distant. Unde nimis quam manifestum est, quo jure novum hoc bellum mihi motum fit à D. Opponente, qui, depugnata jam à me cum immodestis illis juvenibus lite, ex hoc capite inopinum & temerarium mihi intulit priorbellum, quod præter veritatem inchoatum, veritatem non habuit propitiā, & quemadmodum ipsa duce non fuit suscep̄tum, ita nec ipsa comite ac propugnatrice fuit gestum, neque illa applaudente & coronam imponente, non ero falsus vates, terminabitur.


LIV. In Epilogo dicit inter alia Cl. Opponens, *dictatoris cuiuscunquam indignationem se non metuere, quoties de veritate agitur & boni nominis fama*. Hec nimirum ipsius modestia, qua videri vult aliorum dictatarum non ferre, dum aliis insultat. Quod ruisus inquietet Collegarum defunctorum manes, cum tam vehementibus minis, *dicat qui potest, de defunctis Collegis que vult, audiet profecto que non vult*, in eo an vivis an mortuis convitium faciat, nescio. Acerbum mihi est hæc audire ab isto viro, qui an suo, an Collegarum defunctorum honori hoc agendi modo consulturus sit, equidem nescio. Hoc nimirum defensore opus erat ad *crimen dirum heterodoxia à se simul & τῷ μαναγύτῃ Effenio depellendum*. Istud nimirum mendacium in lumen proferri non poterat, nisi simul in feralem lectum beati college insiliasset, & quæ illorum est caritas, cum illo in extrema tegula stante communicatum, piam animam iussisset cum gemitu fugere indignatam sub umbras, & nunc spectri instar varie ostentatum, vivis ad terrorem exhiberetur. Quod denique fidem meam sollicitet, negantis, *unquam animum meum subiisse*

ob hanc assertiōnē alīcui testimoniū orthodoxias denegare ; & tamen ro-
gantis, an per conscientiam liceat anima humana essentiam sola cogitandi po-
tentia circumscribere , salva anima natura & religione Christiana , quā evin-
cunt aperte , assertiōnē ipsius controversiali haberi mihi omnino Hetero-
doxam : quid mirum ergo si dixerim idem ? Ita nonnunquam murem ro-
dendō se prodere ; digna est ipsius subtilitate & caritate observatio.
Quasi prius omne, quod mecum judicem de controversiali aliqua, fo-
ris promere debeam , aut in illo sermone promiserim? & quasi por-
ro non discernere queam inter opinionem qualis in fere est , & illum
qui illam tenet. Opinionem quā ab anima omnem omnino cogita-
tionem removet, in fere falsam, imo periculosa censeo , cum inde,
meo iudicio, aboleatur ipsa anima essentia , & per consequens religio
Christianā. Absit tamen ut vel minima ratione illud impingere ve-
lim adversariis , quos scio ab illis consequentiis abhorrire non minus
ac ego : multo minus ut impingam illud innumeris hominibus , qui
de interiori anima natura non solliciti, non examinarunt unquam an
omni cogitatione orbati possit , nec ne , recte ceteroquin de ejus na-
tura sentientes. Licer ergo illam opinionem , qualis in fere est conde-
mnem , non tamen illos condemnō , qui præcisus illis consequentiis
illam tenent. Et hac ratione nunquam animum meum subit ulli eo
nomine orthodoxias testimonium denegare, aut heterodoxias ullum
eo nomine condemnare. Et isthoc modo cum Magistro illo egi.
Quod tamen non impedit, quin mihi liceat ubi de veritate hujus af-
firmationis disputando controvertitur , & rationibus certatur , quibus
demonstretur illius falsitas & absurditas, adversario per modum mo-
nitoris (ut locutus eram) perpendendum proponere, an ipsi per conscienti-
am liceat, anima humana essentiam sola cogitandi potentia circumscribere , salva
anima humana natura & religione Christiana , postquam rationes quā id
meo iudicio probant, proposueram , & insuper scurriliter rogatus e-
ram, tanquam per questionem Amēsi Casib⁹ conscientia recudendis adjicien-
dam , an si quis defendendam sumpserit hanc thesin , Infantes in utero materno
non actualiter peccare, tali, per conscientiam, dare liceat testimonium orthodoxy-
sa? Videat ergo qui tam temere judicat, an non muris instar, ut ipse lo-
quitur, rodendo famam proximi hic se prodiderit. Tandem vir pru-
dentissimus, qui ob denegatum testimonium Theologicum, ut sibi vi-
detur , censem egit auctoritate Philosophi , cum tamen ipse sua
hic quā maxime cedat habeat vineta, me in ordinem redigit , quan-
tum ad agendi modum, quod prius ipsum publico responso non monue-

rim imprudentia sua, exspectaturus, an, & quomodo, mihi satisfacere potuisset; missis tantisper ceteris ipsius. Nimirum oportuisset totum corpore excepsisse telum, nulla reddita vocula, nisi quæ monuisset D. Philosophum imprudentia; quam ille scilicet eo modo agnovisset, quo nunc eam agnovit, & interim pati necesse habuisse non solum famam meam lædi mendaci narratione, verum etiam veritatem assertionis meæ Φευδογεαφίμασι (ut alibi de me loquitur) accenseret, & telis ipsius undique publice impeti, prout in mantissa factum, & interea ne licuisset quidem mihi hiscere, sed tradenda fuisse veritatis causa, si forte de caluminia mihi satisfactum fuissest. Quæ præterea de novitatibus & heterodoxia addit, sicuti utramque hactenus ipsi fecerunt paginam, ita mirum fuissest, si non extremæ quoque ipsius hæ fuissent voces, qui veterum ac novarum rerum se se æque peritum in hoc conflictu ostendit, & dum novitates oppugnare visus est, magnarum & absurdatum novitatum factus est exemplum. Ne tamen desiderii aut moniti sui rationem habitam non fuisse conqueratur, ecce, respondi ipsem, non vero Cepha Ptolephi, aut Gelasii majores, aut Galeni Farelli, aut similes illis aliis (quibus cum capitibus cur congregati tantopere horreat, ipsius noverit) quos subornatus iri (quali ita soleam, quæ ipsius est in judicando æquitas) exspectabat. Nunc ergo me ista manebit felicitas, ut ipse me responso suo dignaturus sit, quemadmodum ejus rei spem facit, dicens, se nulli alteri in hac controversia responsorum quicquam, præterquam D. OppONENTI, qui primus eam morit. Quæ ultima verba, in quæ definit, quam vera esse Deus & ipsius conscientia, quam compello, noverunt, tam felix & solidum futurum esse ejus responsum auguror & prædico, nihil metuens juveniles jactationes & ampullationes; quemadmodum ita superius cornua summis & ampullatus est, scilicet argumentis & responsionibus meis satisfactum esse facilis, quam vulpes pyrum comedet. Sed dudum me docuit Aristoteles, de facili pronunciare qui ad pauca attendunt. Docebit res ipsa, qua vel corporis declinatione vel arte, & si non cursu, saltu flexu, possit vitare tela ista, quibus ipsius sententiam consecisse mihi visus sum, quibusque non solum, opinor, dissipatae & dissipatae jacent, si quas objecerit rationes, sed & contrariis argumentis multo- & pluribus & gravioribus prorsus obrutæ. Volui enim paulo prolixius hæc tractare, non quod jejuna ipsius exceptio- nes & evasiones (nihil enim aliud in prolixi isto Annexo, in quo nihil magis splendet quam vitrea bilis, habet, ne unico qui- dem

dem, quod memini, argumento producto) id requirent, verum ut mihi ipsi & nobili argumento, quod tractandum suscep-
ram, satisfacerem. Nusquam enim tutius & commodius in accura-
tam dogmatum horum similiumque veritatem inquiritur, quam in
scholis & umbra Academica, ubi id placide fit. In quo si aberraverint,
opto venerorque Deum supplex, ut meliorem mihi mentem duit, &
ut omnia quæ male scripsi, cyanescant & in fumum abeant: sin seculis,
ut veritas & pax, quarum hic unice rationem habui, redeant & se se
mutuo amplectantur, & à me meisque Antagonistis pariter agno-
scantur, amentur ac recipiantur; ut non tam amemus δελένετην ἐπο-
θέσην, quam veritati, quam candori, quam caritati, quam concordiae
sinceræ & ædificationi publicæ, τις παροξυμὸν σύγκρισις ή καλῶν ἔχων.
Quæ omnia vix exspectare audeo, ubi tanta confidentia & vanitate
agi video, ut *argumentis & responsionibus* meis, quæ mihi non plane
inepta produxisse videbar, quibusque vix quicquam repositum est,
nihilominus facilius factum iri audiam, quam *vulpes pyrum comedunt*,
aut canis exta. Quid talibus arduum aut impervium esse poterit?
Scilicet centum in Cilicia, & quinquaginta Sycatronida; triginta Sardes;
sexaginta Macedones, sunt homines, tu quos occidisti uno die. Quid & in Ca-
padocia? ubi tu quingentos simul, ni hebes machera foret, uno i^{ctu} occideres.

F I N I S.



A D D E N D A

Ad Pag. 64. lin. 23. posset?

Ita & Munsterus ad Gen. 8: 21. ad vocem *Figmentum*, ita fatur: *Formatur hoc nomen à verbo תְּבִיב*, i. *formavit*. Exponunt tamen Hebræi pro תְּבִיב, i. concupiscentia & inclinatione, sive ea sit bona sive mala. Locus iste secundum Christianos describit peccatum originale, quod ab incunabulis usque ad extremam ætatem in hominem SÆVIRE non desuit. — Philosophia nescit unde bi horribiles IMPETUS ad peccatum in pueris, adolescentibus & senibus existant.

Ad pag. 72. lin. 5. Quid clarius aut efficacius?

Sic & Cl. Petrus Molinæus in disputationibus Sedanensis, de peccato originali parte tertia §. 32. seqq. loquitur.

Hæc est igitur super hac re uostra sententia. Animam Deus infundendo creat & creando infundit. eamque creat naturaliter bonam, sed destitutam donis cœlestibus & luce supernaturali. Non dare autem lucem supernaturalem menti, non est indere peccatum, et si cœcitatem mentis aversio voluntatis consequatur. Voluntas enim destituta luce supernaturali intellectus & cognitione honorum supernaturalium non potest se mouere ad ignota, sed tantum ad præsentia & nota, qualia sunt VOLUPTATES corporis, cibus, potus, generatio, opes, &c. quæ quidem cum sint naturaliter bona, fiunt tamen moraliter mala, quia avertunt ab amore & studio rerum supernaturalium: & amor nostri, qui naturaliter bonus est, incipit esse moraliter malus, quia locum amoris Dei invadit.

Hiuc

125

Hinc propensio illa ad malum , nempe ex inordinato a
more sui ipsius , quia in lux supernaturalis non dirigit . Quam
lucem Deus non dans animæ , non idcirco ei indit peccatum .
Non , si quis lucem non dat , cum posset , idcirco viatorem
impellit in errorem , aut eum avertit à recta via ; sed tan-
tum non dat id , sine quo recta via dignosci non potest . Quam
privationem lucis cum Deus juste infligat , Ex lege Natu-
ræ , per quam id quod generatur non debet esse perfectius
generante , non potest per id dici causa peccati .

Hanc labem auget temperamentum corporis . Nam ma-
le temperati humores sunt quasi prunæ subjectæ appetiti-
bus , eorumque motum irritant . Appetitus autem et si
cogere non possunt voluntatem , nec afferunt assentiendi ne-
cessitatem , alliciunt tamen & sollicitant . Sic experimen-
to compertum est sanguineos esse hilares , edaces , libidino-
sos : bilioſos esse temerarios & iracundos : melancholicos su-
spicaces , & tenaces propositi .

Ita ad peccatum originale producendum hæc tria concur-
runt . Primo Deus iustus judex , non quidem indens aut in-
stillans peccatum ; sed non dans id , quod ad directionem vo-
luntatis in justitia necesse est . Secundo proclivitas natu-
ralis voluntatis ad se **MOVENDUM** ad nota , &
qua **OTIOSA** esse non potest , unde sequitur aversio à
bono supernaturali ignoto . Tertio temperamentum cor-
poris , quod quidem non est causa creans peccatum , sed
irritamentum .

BREVI-

B R E V I A R I U M C A P I T U M.

C A P. I.

Institutum auctoris & divisio operis ac cause conjectio,

1. *Lis mota super binis respondentibus ipsius corollaris, de latitudine sensus scripturae & de amore qui in fide est,*
2. *Lis altera prima vice ipsi mota circa modum omnipresentiae divinae,*
3. *Lis tertia ipsi facta circa divisionem attributorum Dei in interna & relativa,*
4. *Lis quarta ipsi intentata super infantium cogitationibus actualibus & peccato in utero materno,*
5. *Lis secunda vice excutata circa modum omnipresentiae diuinæ, per Antagonistarum corollarium & manissam.*
6. *Quibus oppositum ἐπίμετρον ipsius prius,*
7. *Instauratio litis de actualibus infantium cogitationibus eorumque peccato,*
8. *Cui objectum ἐπίμετρον ipsius alterum,*
9. *Huic repositum Antagonistarum corollarium & annexum,*
10. *Recapitulatio precedentium & assertio innocentia Auctoris,*
11. *in causa Job. Luyssi,*
12. *Fred. Oosterlandi,*
13. *Job. Regii,*
14. *cum sublatione exceptionum pro hoc factarum,*
15. *& assertione juris denegandi ipsi testimonium Academicum,*
16. *.*

C A P. II.

Transitus ad rem ipsam. Male Antagonistam auctori Opponentis nomen tribuere, quod ipsi jure meritoque competit, 17. *An ex ordine Corollaria Philosophica dictis Scriptura S. farciantur?* 18. *An infantes in utero materno actu peccent?* Ανασκευὴ locorum D. Opponentis contra hanc assertionem productorum. *An contra illam recte producatur* 1. *locus Gen. 25: 22, 23?* 19. *locus Rom. 9: 11? qui vindicatur, adducta ratione 1, 2.* 20. *cum sublatione contrariae instantiae, unius, 21. & alterius, ubi simul discutitur questio, an labes originaria in omnibus aequalis sit?* 22. *Adducitur ratio 3, 4, 5, 6. 23. 111. locus Rom. 5: 12. & male D. Opponentis ex eo deductae consequentiae,* 24. *non repugnare peccatum imputatum & inherens, imo suo modo actuale, in infantibus,* 25. *de bona auctoris fide in allegandis D. Opponentis verbis,* 26. Κατασκευὴ hujus assertio*nis, infantes actus peccaminosos edere, ex variis Scriptura locis & rationibus,* 27. *cum remotione duarum difficultatum,* 28, 29. *de Theologorum Reformatorum circa hanc rem auctoritatibus & testimonii*s, 30.**

C A P. III.

Progressus fit ad fundamentum prioris sententiae, de actibus infantium pecuniosis, an nimurum mentis essentia consistat in perpetuo cogitando actu? ubi 1. discutitur, an mens possit esse mera cogitandi potentia? 31. 11. quomodo in mentis essentiali actu sit potentia & habitus? 32. 111. An omnis actio vel actus requirat principium, vel subjectum a se dislin-
dum? 33. 1v. quomodo mens sit cogitatio, sive res cogitans? 34. Hec
mentis actuas, sive perpetuus hic cogitandi actus, probatur insuper va-
riis argumentis, 1. ex natura actus & potentia, 35. quod argumentis qua-
tuor ad hominem confirmatur, 36. 11. ex natura mentis, quatenus est
spiritus, 37. quo facit ipsius vita, 38. quae ceteroquin a mente tollitur,
39. sicuti ab alia parte brevis immortalis vita ex contraria opinione tribuer-
tur, 40. Facit huc quoque mentis collatio cum aliis spiritibus semper co-
gitantibus, 41. ito cum ipso Deo, 42. Idem etiam arguit mentis ipsius pro-
pria conscientia, 43. 111. ex ejus cum corpore unione, 44. que illius essen-
tiam non tollit, sicuti ceteroquin fieret, 45. quo facit & labis congenite
per corpus propagatio, 46. & passionum ab ipsa ejus cum corpore unione
ortus ac regnum, 47. removetur difficultas ex eo petitam, quod cogitatio-
num in infancia habitarum non meminerimus deinceps, 48. removetur iti-
dem inuidia novitatis, & novam non esse hanc sententiam pluribus testimoniis ostenditur, 49. & vindicatur testimonium D. Bislerfeldii nuperius cita-
tum, 50. Refutatur monstrosa opinio, dari posse substantiam tertiam, me-
diari inter spiritum & corpus, 51. & ostenditur istiusmodi substantiam non
esse brutorum animas, aut formas substanciales Peripateticorum, 52. sen-
tentia hujus novitas & periculi plena absurditas, 53. Epilogus, 54.

ERRA.

719095

92

ERRATA E MENDANDA.

Pag.	Lin.	Leg.	Pag.	Lin.	Leg.			
8.	29.	primum	primam	40.	18.	opugna-	oppugna-	
9.	11.	verbis	redundat.			tus	tus	
17.	23.	ab	ob	62.	22.	כְּשַׁנְנָר	כְּשַׁנְנָר	
19.	8.	catebant	carebant	66.	6.	post	potest	
23.	10.	ego	ergo	69.	15.	post	potest	
	33.	exagitare	exagita-		16.	polt	poteft	
			re	72.	5. à fin. ho-	horni-		
24.	22, 23.	prodromum	prodromum			minus	num	
27.	9.	patet	patet	87.	ult.	efficet	efficiet,	
	131. 32.	Falsitis	Falsitatis	90.	6. à fin. ipsum	ipsam	vita	
31.	19.	Causus	ausus	91.	5. à fin. vitam		illa	
34.	13.	sux	sua	100.	5.	illam		
29, 23.	Nova-	Novato-			7, 8.	virum	vinum	
	tores	ris			105.	6.	confusio	confuso
					106.	27.	phantasma	phantasma

ERRATA